
3 1761 08825345 5

COMMENTATIONES HOMERICAE.

COMMENTATIONES HOMERICAE.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J.F.

LITT. HUM. DR., IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROF. ORD.

LUGDUNI BATAVORUM

IN AEDIBUS SOCIETATIS CUI NOMEN:

A. W. SIJTHOFF'S UITGEVERSMAATSCHAPPIJ.

MCMXI.

Coniuncta iam offeruntur Homeri studiosis quae de compositione Iliadis et Odysseae et de rebus in his carminibus tractatis annis 1897—1911 in Mnemosyne disputavi. Non recepi quae in eadem Bibliotheca scripsi de quaestionibus grammaticis vel criticis, ea enim *Enchiridio dictionis epicae* et *editioni carminum Homericorum* maximam partem iam sunt inserta. His vero commentationibus in notis exegeticis ad Iliadem et Odysseam, quae parantur, aptus locus non erit, quapropter iis praemittere satius est visum, auctas passim et correctas.

LUGDUNI BATAVORUM mense Augusto 1911.

v. L.

INDEX.

I.

DE COMPOSITIONE ILIADIS. [1]

„Falleris". — Esto istud: fallor fortasse; sed ipse
„Si vis laudari, quae non sint falsa repone".

Goethii quae in lemmate attuli verba [2]) Paulus Cauer praemisit docto libro quem de Crisis Homericae fundamentis scripsit [3]). Quorum verborum et ego nunc memor dicere conabor quid sentiam de Iliadis origine et compositione. Dicam quam potero brevissime, ne in spissum librum haec commentatio excrescat sedule et fere anxie cavens, summas igitur res stringens, non in singulas rerum particulas nunc inquirens. At quantae molis, quanti ponderis argumentum sollicitaturus sum, quam multis iam tractatum, quam simile lapidi Sisypheo! Ut abstineam hortatur Pudor, hortantur Metus et sui Diffidentia: periculosissimum esse opus, irritum fore laborem, multis stomachum moturum, risum datura conamina! Sed segnis hominis est non intendere vires, et pluris faciendum est veri studium quam amor sui. Dicam quod persuasum est.

De Homero igitur et de huius poetae carmine dicturus sum, rem

[1]) Repetita haec sunt ex fasciculo Mnemosynes eo qui 1° Oct. 1910 prodiit; anno 1909 eadem domi inter amicos, dein anni 1910 initio in nostra Universitate publice sermone patrio protuleram.

[2]) „Du hast nicht recht!" Das mag wohl sein,
Doch das zu sagen ist klein.
Habe mehr recht als ich. Das wird was sein.

[3]) Grundfragen der Homerkritik [2] 1909. De quo opere nonnulla observavi in Museo nostrate (patrio sermone usus), Febr. 1910 (161—168).

tractans quae non philologis potissimum sed cultis omnibus hominibus permagni est momenti. Nam quisquis Iliadem amare didicit, iustusne an caecus et ineptus hic sit amor, veramne Musam an Musae umbram fallacem admiretur, sitne carmen quod teneat an carminum sint segmina tenui artificio in maioris carminis aliquam speciem coniuncta, quin scire cupiat fieri non potest. At quicunque recens est ab ipso Homero, ridet cum tale quid rogatur, et miratur rogari unquam potuisse, „amo Homerum, ergo extat" confidenter exclamans et cordis illis rationibus, quas Ratio ignorat, plus tribuens quam hominum eruditorum quibuslibet disputationibus.

Est tamen perantiqua haec quaestio. Quae ab eo inde tempore est mota quo pueri a magistris carmina Homeri discere coeperunt. Tum cum viri docti his carminibus operam impenderunt primum et multa in his parum inter se congruere aut senserunt aut sentire sibi visi sunt, nata est quaestio quae dici solet Homerica.

En testis idoneus et omnium antiquissimus. Herodotus Cypria et Iliadem eiusdem poetae esse carmina negat [1]). Illa enim aetate praeter Iliadem et Odysseam etiam alia carmina epica complura Homero solebant tribui; ipsa igitur Homerica quam dicimus quaestio movetur cum Herodotus Cypria carmen Homero abiudicat. At primum hoc quod litterae antiquae praebent specimen huiusmodi disputationum aptissimum est ad avertendos ab iis philologorum animos; nam falso et nullius pretii argumento confisus Herodotus — aut is quem Herodotus secutus est — negavit Cypria eiusdem atque Iliadem esse poetae.

Videamus quid sit rei. Herodoti verba haec sunt: *„ἐν μὲν γὰρ τοῖσι Κυπρίοισι εἴρηται ὡσ τριταῖοσ ἐκ Σπάρτησ Ἀλέξανδροσ ἀπίκετο ἐσ τὸ Ἴλιον ἄγων τὴν Ἑλένην, εὐαέϊ τε πνεύματι χρησάμενοσ καὶ θαλάσσηι λείηι, ἐν δὲ Ἰλιάδι λέγει ὡσ ἐπλάζετο ἄγων αὐτήν."* Pugnare igitur inter se ait Herodotus id quod in Cypriis sit narratum: „Paridem triduo cum Helena iter e Peloponneso in patriam confecisse" et id quod in Iliade: „eum per temporis aliquod spatium cum Helena circumvagatum esse."

Hoc si legitur in Iliade, inter se non congruere quae dixerit

---

[1]) Herodot. II 117. Aiebat e. g. Pindarus (cf. Aelian. V. H. IX 15).

poeta Iliadis et quae poeta Cypriorum suo iure perhibuit Herodotus; nam triduo illud iter confici non potuit nisi ab iis qui et vento secundo uterentur et nihil cunctati littus Troadis peterent [1]. At — non legitur!

Spectat Herodotus Iliadis versus [2], quibus Hecuba dicitur descendisse in thesaurum regium, ubi et aliae opes et vestimenta pretiosa asservabantur:

ἔνθα ϝ' ἔσαν πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων, τὰσ αὐτὸσ Ἀλέξανδροσ θεοϝειδὴσ
ἤγαγε Σιδονίηθεν, ἐπιπλοὺσ εὐρέα πόντον
τὴν ὁδὸν ἣν Ἑλένην περ ἀνήγαγεν ηὐπάτειραν.

Hos versus ut apte possimus interpretari, necesse est vocabulum *ὁδόν* intellegamus *totam Paridis expeditionem*, non ultimam huius partem solam. Sed paullo altius res est repetenda, quo clarior appareat mens poetae. „Latrocinia aetate heroica nullam habebant infamiam, immo laudem ferebant”: ita recte Thucydides [3]. A suis ipsorum videlicet popularibus et horum amicis laudabantur praedones, neque dedecus sed famam afferebant expeditiones in gentes exteras lucri causa susceptae, si modo bene cessisset res. Cuius aetatis mores non tantum quantum fortasse crediderit quispiam a nostrae moribus fuerunt diversi, nisi quod aliis nominibus hodie eadem res ornatur et longius remotae esse solent quae spoliantur gentes. Apud Homerum autem Mentes, dux praedonum Taphiorum, Ulixi ab intimis fuit, et ipse Ulixes praedonem se egisse in ficta ad Eumaeum narratione verbis apertis gloriatus est [4], novas eiusmodi expeditiones revera mox suscepturus [5]; quid quod Mentae illius praedonis speciem sumsit Minerva dea Telemachum prudentibus consiliis adiutura. Nihil igitur insoliti ea aetate habebant verba Nestoris, iuvenem regium, qui ad Pyli littus appulisset, cum benevole et honorifice acciperet,

---

[1]) Cf. *ι* 363 *γ* 180 Thuc. III 3 § 5 Soph. Phil. 354 Theocr. XIII 29.
[2]) *Ζ* 289—292. Quos versus et ipse Herodotus l. l. attulit.
[3]) Thuc. I 5.
[4]) Cf. *ξ* 230—234, 246 sqq.; nam vs. 262 *ὕβρι ϝεῖξαι* dicens non *ipsam rem* improbat sed sodalium neglegentiam hostes vilipendentium.
[5]) Cf. *ψ* 367.

rogantis utrum ad praedandum navi circumvagaretur an aliud ei esset itineris consilium [1]). Qui vero spoliati erant homines et horum amici, hi praedonibus pessima quaevis imprecabantur [2]); sed haec res nullos unquam bellatores deterruit.

Ergo fortissimus quisque rex huiuscemodi expeditionibus laudem et emolumentum sibi suisque solebat quaerere, et Paris, Priami filius strenuus famaeque appetens, cum adolevisset, patre haud invito naves sibi strui iussit, quibus oras gentium exterarum viseret sive — nam eodem haec res redibat — popularetur. Incepto favens ipsa Minerva — non Achivorum illa dea sed Ilii dea tutelaris — Tectonem architectam adiuvit in navibus aedificandis [3]), quemadmodum adiuvit eum qui Argonautis navem struxit et eum qui „equum" Troianum [4]).

Quorsum igitur his navibus conscensis Paris cum militibus *αὐτερέταισ* profectus est? Statimne petiit littora Graeca? Minime! Fecit id quod ipsa res ferebat, in ea praesertim artis navalis imperitia: Asiae oram legens ad gentes vicinas pervenit, quemadmodum praedones Taphii vicina potissimum Thesprotiorum littora visere sive vastare solebant [5]). Ibi praedam praeda cumulans et longius longiusque tendens — nam nihil parvum appetebat ingenium iuvenile et ferox — etiam ad oram Phoeniciam appulit, ubi maximis item opibus potitus etiam mulieres nonnullas texendi peritissimas rapuit. Tum maius quid ausus mare traiecit et sic usque ad Peloponnesi oram pervenit tandem, ubi vel felicius quam per ceterum iter re gesta — audaces enim fortuna iuvat et ipsa Venus ei favebat — reginam formosissimam cum magna vi auri et argenti in naves abripuit [6]); rex enim Menelaus forte tunc aberat. Iam vero festinato opus esse sensit, hostes eos in se conciliatos quibus haudquaquam par esset, Helenam se tenere *νυὸν ἀνδρῶν αἰχμητάων καὶ πολλὰ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῆι*: Menelaus si redux se offenderet, mortem sibi suisque esse paratam. Itaque quam potuit celerrime domum tetendit, et tunc quoque prospera fortuna

[1]) Cf. *γ* 71—74.
[2]) Cf. *π* 425—427.
[3]) Cf. *E* 59—63.
[4]) De equo Troiano cf. cap. XI.
[5]) Cf. *π* 425—427.
[6]) De Helena vi rapta, non sponte Paridem comitata, cf. cap. V.

usus, *χρώμενοσ οὔρωι τ' εὐαεῖ λείηι τε ϑαλάσσηι*, citius rediit in Troadem quam ut assequi eum possent Achivi.

Haec et inter se et cum ipsis Homeri verbis optime concinunt, haec cum moribus aetatis heroicae congruunt. Si vero sequimur Herodotum, cui Helena non erat innocens et pudica et Iove patre digna, qualem celebravit Homerus, sed uxor libidinosa, quae iuvenem peregrinum sponte secuta esset marito et filiola derelictis, sumamus oportet turpem illam adulteram cum moecho in regiones longinquas properasse, ibi animo indulgentem novas identidem urbes visisse nec usquam quietem invenisse, quam praeriperet mens flagitii conscia; Paridem autem, ut mulieris amatae animum exhilararet et amoris signa ei praeberet, dona pretiosa a mercatoribus orientalibus ei . . . emisse, dicere volui, sed id quidem nimis aperte absurdum, non enim emebant illi homines sed praedabantur, neque vestes sed ancillas texendi peritas Troiam a Paride advectas dixit Homerus. Apage verbula insulsa, quae non e carmine epico sed e romanensi aliqua nostri aevi fabula desumta dixerit quispiam. *Mulieres Sidonias Paris in patriam adduxit ex itinere illo quo Helena potitus est*: haec Homeri verba simplicia ut perperam interpretaretur Herodotus — huiusve magister Homeri studiosus — effecit praeconcepta opinio de Helenae adulterio voluntario et de sera vindicta Menelai, multis demum annis post cum classe in Troadem profecti.

Duas iam res perspeximus:

1) studia virorum eruditorum, in varias partes a variis poetis compositas discernere conatorum ea quae ars epica peperisset, utpote inter se non congruentia, ab eo inde tempore inter Graecos viguisse quo opera sermone soluto concepta Graeci scribere coeperint,

2) antiquissimum quod nobis cognitum sit horum studiorum specimen, id insigni errori deberi.

Nam *egregie errat* Herodotus, ut vidimus, inter se discrepare illos Cypriorum et Iliadis locos perhibens, et nisi graviora fuerunt cetera argumenta, quibus veteres adducti sunt ut unius poetae haec carmina esse negarent, nihil obstabat quominus Cypria carmen auctori Iliadis assignaretur.

Missis nunc deperditis illis carminibus, quorum nimis parca,

nimis incerta ad nos propagata est memoria, ad Iliadem et Odysseam solas advertamus. Quas solas postea Homero tribuerunt viri docti. Neque omnes ambas. Mox enim surrexerunt qui alium hanc, alium illam fecisse poetam contenderent. Neque fieri potuit, cum ad hoc studiorum genus convertere se coepissent qui Homero interpretando operam dabant, quin simul inciperent dubitare an non cuncta quae in Iliade legerentur eidem deberentur poetae, neque cuncta quae in Odyssea. Aristarchus autem oblocutus quidem est *τοῖσ χωρίζουσι* sive iis qui Odysseam ab Iliade secernebant, at idem — et partim hanc ipsam ob causam — multos in utroque carmine versus obelo notavit utpote spurios. Et ab hac certe parte artis criticae ne potuit quidem abstineri, ex quo grammatici senserunt operam esse dandam ut carminum priscorum textus recte constitueretur; nam cum inter se conferebant quae iis praesto erant exemplaria e variis regionibus collecta, passim haec inter se non congruere videbant et multos versus in aliis exemplaribus legi, in aliis non extare. Suo igitur iudicio editores usi ut genuina a subditiciis secernere conarentur necesse erat.

Non eandem autem omnibus de singulis versibus fuisse sententiam, sed alios severiores se praestitisse, alios magis pronos fuisse ad servanda quaecunque vetustum aliquod exemplar praeberet, neque idem omnibus mentis acumen, non eandem fuisse eruditionem vel dictionis epicae peritiam, cum intellegit quilibet, varia enim sunt hominum studia et ingenia, tum ex Iliadis Odysseaeque scholiis et aliunde nemo nostrum qui his rebus operam dedimus non didicit, luculentissime autem his annis id docuerunt et ad ipsos oculos nobis demonstraverunt quae in Aegypto repertae sunt laciniae quamvis putres et exiguae librorum saeculo III⁰ vel II⁰ ante Chr. n. exaratorum, qui libri textum Iliadis et Odysseae exhibuerunt multo ampliorem quam is est quem recentiores praebent papyri et codices [1]). Tenemus igitur fragmenta textus *πολυστίχου*, ab aliorum exemplarium textu passim discrepantis. „Utri fides habenda?" et nos rogamus et olim rogaverunt viri docti, quibus textus uterque — et alii neque huic

---

[1]) Exempla non nulla e pluribus hic indicata sunto *Γ* 302, 339 *Θ* 51—55, 251 sq. *Λ* 504, 509 sq., 514 sq., 520, 795, 827. Simili dictionis abundantia *κ* 367—372 etiam pars codicum medio aevo scriptorum laborat.

neque illi consimiles — innotuissent, neque poterat fieri quin rogarent.

Accuratius autem singula explorantibus patet *ampliorem* quem diximus vetustorum illorum voluminum textum non et *uberiorem* fuisse, sed priscum merum affusa aqua ita fuisse dilutum ut copia quidem potionis fieret maior, non cresceret eius vis aut melior fieret sapor; versuum quidem auctum esse numerum, sed materiei aut splendori dictionis nihil esse additum; passim insertos esse versus ex aliis Iliadis vel Odysseae partibus iam cognitos, qui et in novum contextum satis bene quadrare viderentur, et sic pluribus verbis esse dicta quae paucioribus aeque bene dicerentur in exemplaribus chartae minus prodigis.

Rhapsodorum hic vocem vel manum agnoscere cuiusvis est; sed quicquid statuimus de tantae varietatis causis, id certum atque apertum est, vixisse „quaestionem" illam quam dicere consuevimus „Homericam" ex illo inde tempore, quo grammatici coeperunt operam dare ut spuria e textu carminum epicorum removerent; certum est, non hominum aliquorum nimis suspicacium doctrinam molestam haec studia peperisse aut promovisse, sed ipsam textus traditi inconstantiam ut iis incumberent coëgisse Homeri interpretes et editores.

Nam eadem argumentandi ratio, quae Zenodotum vel Aristophanem vel Aristarchum movit ut versus nonnullos sive in cunctis sive in quibusdam exemplaribus vetustis inventos damnaret, ad maiora tentanda impulit Lachmannos et Knightios et Kirchhoffios et ceteros criticos, quorum nomina addi hic poterant plurima. Omnes rogarunt — et suo iure sane rogarunt! — quid ipsum poetam deceret, quid non; omnes in suspicionem vocarunt quae certas ob causas improbanda esse sibi persuasissent, alii cautius atque prudentius procedentes, alii temere atque audacter, alii externis indiciis alii internis plus tribuentes, non aeque omnes sagaces, aeque eruditi, aeque periti artis poeticae, dictionis epicae, antiquitatum heroicarum, sed eo tendentes omnes ut suo ipsorum usi iudicio nihil tribuerent prisco poetae — vel priscis poetis — quod his indignum neque ab his profectum arbitrarentur. Unumne versiculum hac argumentandi ratione ductus e contextu eiciat aliquis an centenos, Iliademne ab Odyssea secernat an Doloneam

vel Iter Telemachi ex alterius carminis corpore resecet, an etiam in partes aliquot utrumvis carmen dirimat vel divellat, revera nihil interest, neque prudentis est viri aliam horum studiorum partem admittere et laudare, aliam a limine damnatam aspernari; nam eodem tendunt omnia. Id unum refert scire quam validae sint causae, quibus singuli critici singulis locis permoti fuerint ad sollicitandum textum traditum. Quae genuina essent, quae spuria, quid vitium creparet, quid claro sono testaretur integrum servatum esse artificis vetusti opus, et olim quaesitum est et nunc quaeritur. Non novam quaestionem movit Vico vel Wolf, sed vetustissimam aut illi suscitarunt, aut ipsum eorum suscitavit aevum, quo carmina Homerica eo denuo amore amplecti coeperunt homines quo diu fota fuerat Aeneis. Nam carmina „diligere" idem est quod „pernosse velle" atque „intellegere", neque singula tantum verba vel versus, sed ipsum potissimum carminum decursum; qui si haereat vel haerere videatur, quin rei quaeratur causa non potest fieri, et latus patet suspicionum campus legentium ingenio vel audaciae.

Adversis autem frontibus inter se oppositi diu hinc steterunt quibus persuasum erat carmen esse Iliadem, carmen Odysseam, poetae opera se tenere, illinc qui dirimenda censebant quae Musis invitis coaluissent, non enim duo carmina epica e prisco illo aevo ad nos pervenisse, sed strues duas carminum, vel potius strues fragmentorum male digestorum male colligatorum. Illam opinionem poetae cum veteres tum recentiores complures probarunt, haec inter philologos defensores invenit creberrimos atque acerrimos, et strenuo multorum labore plurima prolata sunt argumenta, quibus demonstraretur in utroque carmine quaedam non satis apte inter se iuncta esse aut parum inter se congruere.

Ecquis erit finis? Fore persuasum est; haud procul, nisi vana auguratur animus, etiam absunt pax et fidelis concordia, pugna diuturna et generosa paratae. Viam, qua ad optatissimum illum finem aliquando perveniri possit, cernere mihi videor. Ut ex inepto errore nasceretur amor ille, quo plurimae hominum aetates „Homerum" suum coluerunt, id fieri non potuit; neque vero credibile est plurimos illos viros sagaces et eruditos, qui in Iliade et in Odyssea antiquorum carminum rudera agnoscere sibi visi sunt,

mera somnia protulisse. Verum cum illi tum hi viderunt vel senserunt: iungenda sunt haec studia et ille amor; non utris credendum sit rogemus oportet, sed credamus et his et illis.

Distinguenda autem — pudet fere dicere quae nemo ignoret, sed tamen dicenda nunc haec videntur, — distinguenda est *carminis forma*, sive id ipsum quod carmen vocamus, id quod debetur poetae, id ob quod carmina sive bona sive mala dicuntur, a *carminis materie*. Distinguenda, non secernenda. Non enim ea ratio, quae est inter vestem et corpus, intercedit inter carminis formam et carminis materiem, sed illam ab hac seiungere qui studet, id agit ut cute carnes, carnibus ossa nudet et ipsorum ossium iuncturas articulatim solvat, — coqui et concoqui quae possint fortasse mox habiturus, non quae mentem admiratione percellere vel cordis interiora amore calefacere. Florem cum cernimus, nulli dubitamus quin radices egerit caulis ex quo flos ille prodiit, radices illae quin e terra sucos duxerint, terrae angulus unde procrevit quin varia elementa habuerit commixta, e longinquis fortasse rupibus vi torrentium vel glacie labente convecta, fortasse e monte ignivomo ante multas hominum aetates eiecta et per aërem illuc delata, dein caeca vi humoris et microbiorum sensim ita mutata mollita comminuta, ut humus fertilis facta tandem quae duri saxi fuissent fragmina, nutrire possent germen vitale, quod casu felici illuc incidisset. Singula autem ea elementa dignoscere est geologorum, in plantae originem et incrementa vel in species cognatas inquirere est botanicorum physiologorum geographorum, florem dissecabit fortasse qui partes eius interiores explorare velit, sed florem admirabuntur, floris forma vel colore fruentur ei soli, qui talem qualem ipsa naturae vis vegeta protulerit intueantur.

Itaque, ut eo unde digressi sumus redeamus, „unumne carmen sit Ilias an plura?'' roganti confidenter respondemus: „unum!'' Suum autem hoc carmen poeta struxit e materie, quam praebebant carmina vetustiora, et cuiusmodi illa carmina fuerint quaeri potest; sed quaestio de compositione et quaestio de materie Iliadis cum simul habentur et permiscentur, ad finem optatum perveniri nullo modo potest; in avia mox aberrabunt disputantes, neque deerunt crimina vel iurgia, disputationis non recte institutae indicia certissima. *Origo Iliadis* non nisi in mente poetae illius, qui sive

recte sive nomine alieno *Homerus* vocatur, est quaerenda; *materies* vero, qua ille poeta usus est, quin variam habuerit originem minime est dubium, et crebrae quae hac de re habitae sunt investigationes in lucem multa protulerunt quae optimae essent frugis.

Potest autem id quoque quaeri, quomodo et quam feliciter materie sua poeta usus fuerit in singulis carminis partibus componendis, et per se intellegitur rem aeque semper bene ei cedere non potuisse. Praeterea est veri simillimum, poetam Iliadis — vel poetam Odysseae, de quo carmine eadem dicta sunto, — cum materie e carminibus vetustioribus desumta uteretur, nonnumquam pepercisse ipsi formae, quam materiei olim tribuissent illorum carminum auctores. Et licet singuli versus partesve versuum, quos sic a prioribus cantoribus noster mutuos sumserit, indicari non possint, quoniam vetustiora illa carmina aetatem non tulerunt, non tamen meram iam proferimus suspicionem. Nam formulas certe quasdam, quae ex ipso Iliadis vel Odysseae contextu procrescere non potuerunt, e. g. *βοῶπισ πότνια Ἥρη* vel *ἐΰσκοποσ Ἀργεϊφόντησ* vel *δῖοσ ὑφορβόσ*, ab horum carminum poeta vel poetis ex antiquioribus exemplis repetitas esse constat; partes autem versuum qui nonnumquam repetivit, is quin et totos versus, fortasse complures deinceps versus aliunde desumtos hic illic suo operi inseruerit potestne dubitari? Versus quosdam formulares passim per Iliadem et per Odysseam offendimus repetitos; nuntiis quae mandata sunt, iisdem verbis ab his nuntiis referri audimus: et creditu difficile videtur, eum qui suos ipsius versus toties repetierit quoties ferret rerum quas enarrabat decursus, alienis quoque versibus usum fuisse cum suo carmini eos aptos esse videret?

Quam multa autem sic e carminibus vetustioribus poeta noster in suum opus transtulerit, quam magnas illorum carminum partes servaverit et quam integras, sciri iam nequit; id certum, *sua* eum fecisse quaecunque suo carmini adaptaret, et quemadmodum sonorum notorum iunctura nova identidem verba vel nova cantica parit, et nova fiunt verba cognita cum callide inter se iunguntur, sic et antiquorum carminum fragmenta, si qua Homerus maiora vel minora in suum opus recepit, eius arte *nova* esse facta et ipsius quod ille pangebat operis partes. *Sua* ille cepit ubicunque reperiebat, *bona* ut fierent curavit Musa quae eius ore loquebatur.

Hoc quoque certum est et nobis qui seri epigoni nunc vivimus perpetue recordandum, — res ut difficilis sic necessaria, — multa poetae et iis qui aurem ei praebebant cognita fuisse, quae in carminibus ab eo non fuerint commemorata, nos autem ea cuncta latere, quoniam nulla praeter Iliadem et Odysseam ex illo aevo ad nos pervenerunt monumenta litterata. De dis, de caelo, de morte quae hominibus tunc fuerint persuasa, qualia iis studia, qualia gaudia, quales dolores fuerint, qualia speraverint vel metuerint, qui victus, qui amictus, qui cultus iis fuerit, quae inter eos vixerint cantica vel fabulae sermone soluto enarratae, haec omnia quaeque plurima sunt eiusmodi nisi ex ipso Homero discere possumus, prorsus ignoremus necesse est neque ulla est spes aliquando sciendi; et licet ars archaeologica hic illic exiguum aliquem angulum sustulerit densi veli oblivionis, sub quo prisci illius aevi res iacent sepultae, alios fortasse angulos posthac illustratura, ea sola quae manibus tangi et oculis usurpari possint hac arte illustrari sivit ipsa rerum natura: quicquid est dominii poetarum, ab ea alienum est. Quae cum ita sint, melius Homeri studiosis praeceptum nullum unquam potuit dari quam Aristarchi illud „poetam ex ipso poeta illustrari" iubentis. At male adhibitum idem praeceptum gravissimorum saepe errorum extitit causa, cum ita Homeri ope Homerum illustrare conarentur interpretes ut si nulla ante Homerum fuisset ars poetica, nulla inter eius aequales carmina, nulla rerum praeteritarum priscarumve fabularum memoria extra ipsius opera vixisset, obscura denique auditoribus olim fuissent quaecunque carmina Homerica post multa saecula legentibus obscura habere viderentur. Absurda haec esse nemo non sentit! Gallicus poeta cum sic infit: „etiam regnabat Valesius", nos non latet ille Valesius qui fuerit, quia temporis haud ita magnum intervallum interest; sed caecus casus si quando tulerit ut omni eius regis memoria inter homines deleta Voltarii etiam supersit epos, nullus tamen qui sapiat lector, primis his carminis vetusti verbis lectis, dubitare unquam poterit quin poetae aequalibus Valesius ille notissimus olim fuerit. Sic circa Iliadis initium cum Patrocli vel Telemachi in transitu fit mentio, neque verbum ullum est additum quo certiores de iis fierent qui poetae aurem praebebant, inde non concludimus Iliadis igitur exordium non verum

esse exordium, plura enim olim praemissa fuisse, unde auditores discerent quis Patroclus quisve Telemachus fuisset, sed intellegimus Patrocli Telemachi Ulixis nomina et fata poetae aequalibus optime cognita prius fuisse quam Iliadis poeta canendi fecerit initium. Herculis vel Meleagri vel Melampodis fata cum obscurius indicari nobis videntur, audientibus tamen nihil obscuri habuisse carminis eiusmodi locos facile nobis persuademus; et poeta si ibi, ubi fabulas priscas respexit, arte sua minus interdum feliciter usus esse nobis videatur, non tamen eo procedemus ut eum res iis quibus canebat ignotas ita indicasse putemus ut ipsius verba iis intellectu essent difficilia.

Nihilo autem innocentiorem errorem erraverit quispiam, si ipsum poetam ignorasse quaecunque non commemoraverit in animum sibi inducat. Casus tulit ut uno loco in comparatione apud Homerum mentio fieret rotae figuli: alia aut nulla si illo loco comparatione usus esset poeta Odysseae, crederetne quisquam ignotum poetae eiusve aequalibus fuisse instrumentum ante tot saecula inventum? In alia quadam comparatione fabarum et cicerum fit mentio: quae si deesset, incertumne videretur vetustissima illa legumina poetae aequalibus notane an ignota fuissent? Vel, ut iocoso, quod Andreas Lang nuper indicavit, argumento et nos utamur: quod nemo tussit apud Homerum, estne inter nos qui putet tussim inter poetae aequales nullam fuisse auditam? Sic — ut quarto exemplo utamur — de iure iurando ab Helenae procis Tyndareo dato quod tacuit Homerus, haudquaquam inde sequitur eum ignorasse eam fabulam, aut igitur post eius aetatem esse natam aut in regione unde innotescere ei non potuerit; sed credibile est — credibile inquam, non certum aut veri admodum simile — poetam et notam eam habuisse et neglexisse. Nam fieri non potuit quin tum cum seligebat et colligebat materiem, quae utilis sibi videretur ad carmen quod moliebatur struendum, sciens multa sperneret et omitteret, quae sibi non conducerent. Quae commemoravit Homerus, ea aut ab ipso ficta esse aut aliunde ei innotuisse scimus; id quoque certum est, eum non commemorasse quae scire non potuerit: sed quae non commemoravit notane an ignota ei fuerint, id saepissime nescimus. Ne eas quidem fabulas, quae ab Iliade vel ab Odyssea manifeste discrepant, poetae ignotas

cunctas fuisse perhibere licet; nam potuit fabularum duarum inter se non congruentium alteram recipere, alteram mittere, ut minus sibi placentem.

Quae igitur argumenta satis firma videntur iis qui Iliadem unum unius poetae carmen esse autumant? — ut de Odyssea paullisper taceamus, de quo carmine posthac disputaturi sumus. Possuntne indicari quae doceant non variorum carminum fragmenta nos tenere fallaci artis humilioris labore conglutinata et unius operis speciem ementita, quorum iunctura sub superficie utcunque levigata oculis exercitatis indagari possit, sed singulas huius operis partes ita inter se cohaerere ut partes corporis viventis, quibus unum cor sanguinem, unum pulmonum par aërem vitalem praebeat?

Possunt! Nam passim quidem per huius poetae carmen *pellucent* quae aevum Homero antiquius excogitaverat, quippe ipsius poetae suum opus aggressuri mente olim recepta, sed non *apposita*, non *adiuncta* recentioribus sunt antiquiora. Ibi ubi ex ipsius Homeri ingenio carmen profluxit, optime cohaerent omnia; ubi autem fabulis aliunde ductis usus est, carmini admixta quidem sunt quae non satis omnia cum carminis argumento congruerent, ita tamen ut in ipsius Homeri notiones abierint quae aetas prior ei praebuisset. Quarum notionum alias ab aliis discrepare cum sentimus, agnoscimus commune generis humani vitium, illum quoque vatem errores humanos errasse, quippe hominem, neque indignati neque mirati. Non Hydra aliqua est Musa Homerica, cui amputanda sint singula capita ut ... mortua scilicet capita remaneant et truncus iners; non velata ad nos accedit, ut Penelope ad procos, ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα et nisi densa atque multiplicia velamenta demantur oculos admirantium latens: sed avellendo et resecando qui operam dant, Marsyae vel Apsyrti ei fatum parant.

Drama Ilias optimo iure vocata est; — Odyssea, sed de hac nunc non agimus, cum fabulis Milesiis potius est comparanda; [1] —

---

[1] Ὅμηρος τῆς Ἰλιάδος ὅλον τὸ σωμάτιον δραματικὸν ὑπεστήσατο, τῆς δὲ Ὀδυσσείας τὸ πλέον διηγηματικόν Rhetor de Sublim. 9 § 13, qui poetam arbitratur illud epos scripsisse iuvenem, hoc senem, cum vitae sol deorsum vergeret.

in quo dramate triplex illa unitas, quam in dramatis componendis neglegi vetuit artis lex severior, tam bene est servata ut aequus censor ab hac certe parte non inveniat quod vituperet. Nam et *tempore* et *loco* et ipso *rerum* narratarum *decursu* optime cohaeret Ilias. Optime etiam — quod nobilioris est artis — poeta sibi constitit in dramatis quas invexit *personis* pingendis.

De singulis videamus.

Et de *loco* quidem multa dici non est opus; omnia enim in planitie, qua Troia urbs a mari seiungitur, et in ipsa hac urbe aguntur. Cuius planitiei speciem eam, quae menti poetae perpetue est obversata, in charta indicare possumus, dummodo id unum agamus ut tenuia quaedam lineamenta oculis subiciantur; nam si quis certis mensuris severe usus singula in diagrammate accurate elaborato et adumbrato ostendere velit, opus agat irritum et poetae interpretibus indignum. Is quoque operam perdat necesse est, qui Iliadem cum tabula geographica, ipsam Troadem ex vero referenti, eo consilio conferat ut singula, quae poetae verba habeant, locorum indicia ad illam tabulam exigat, quicquid cum ea congruere videat probaturus, utpote genuinum et ipso poeta dignum, quae vero parum ei conveniant in suspicionem vocaturus. Nam fando quidem poeta audiverat Troiae et multorum locorum sive vicinorum sive longius remotorum nomina; montium, fluviorum, promunturiorum quaedam nomina a poetis antiquioribus aut aliunde acceperat, item nomina tumulorum, fontium, arborum quarundam sacrarum; fortasse et ipse — sed in coniecturarum campum infinitum iam evagamur — urbis olim deletae rudera tempore peresa aliquando viderat: non ita insueverat illi Asiae angulo ut singulae eius partes tales fere, quales natura confinxerat, ante mentis oculos ei versarentur, neque cecinit hominibus illorum locorum incolis. Itaque si quis suis aliorumve oculis velit subicere imaginem non nimis fallacem, species locorum, quam rebus in Iliade narratis subiectam sibi finxit poeta, neglectis tabulis geographicis sic fere — fere, inquam — rudi arte est delineanda, qualis fuit illius hospitis, qui in mensa Penelopes bellum Troianum digito madenti pinxit [1]:

---

[1]) Ovid. Her. I 31 sqq.



In littoris igitur Troiani *sinu* acclivi, a cuius parte utraque assurgunt *promunturia praerupta*, naves Achivorum stant subductae [1]). Inter naves et mare tabernacula Achivi erexerunt, mox, cum prima pugna non bene iis cessisset, urbem enim non ceperant, *fossa* et *aggere* haec castra muniverunt [2]).

Planitiei, quae inter littus et urbem intercedit, pars urbi propior veluti per *saltum* quendam e parte humiliore assurgit [3]).

Troiani hostibus obviam iverunt per planitiem, dein noctem post primam pugnam transegerunt sub moenibus urbis, proximas autem noctes, postquam Marte secundo pugnarunt, in aperto, haud procul a castris Achivorum [4]).

Cum pugnatur, Troianis a parte sinistra est *Scamander* flumen [5]). Huic vicinus est *Ili tumulus* [6]), quem Hector noctu obtinet cum ceteris ducibus [7]).

Haud procul ab illo tumulo est magna quaedam et sacra *caprificus* [8]). Etiam *tumulus Aesyetae* in eius vicinia est [9]).

Prope urbis in planitie iacentis [10]) *portam Scaeam* Achivis obversam est sacra *quercus* [11]).

In urbis *arce Pergamo* sunt aedes *Priami*, aedes *Paridis*, fanum *Apollinis*, fanum *Minervae*.

---

1) Ξ 35 sqq. 2) Η 337 sqq. 3) Κ 160 al.
4) Cf. cap. VIII. 5) Λ 498 sq. 6) Ω 349 al.
7) Κ 415. 8) Λ 167 Ζ 433 al. 9) Β 93 Χ 145.
10) Cf. Γ 217. 11) Ζ 237.

Non rogamus nunc unde poeta singula quae commemoravit cognita habuerit nomina, neque quam recte in unam imaginem cuncta ea loca coniunxerit. Credibile est priscorum carminum alia sacram quercum, alia caprificum celebrasse, Ili tumulum et tumulum Aesyetae eiusdem loci olim nomina fuisse, Simoentem cum Scamandro non in ipsa Troade sed in mente poetae confluxisse; sed ab ea in qua versamur disputatione huiuscemodi quaestiones sunt alienae. Praeterea facile intellegitur poetam non cunctas campi Troiani partes mentis oculis perpetuo vidisse, ad *Scamandri* e. g. *vadum* tum potissimum attendisse cum pingeret Troianos in illas angustias caeco terrore se conicientes [1]. Summam vero rerum si tenemus, negari nequit unam eandemque locorum imaginem per cunctam Iliadem satis fideliter esse servatam.

Nihilo magis quam *loci*, in Iliade violata est *actionis* quae dicitur unitas. Iram Achillis qui cantaturum se professus est poeta, is per totum carmen eam cecinit. Non ita sane cecinit ut ea sola, quae cum ira illa cohaererent proxima, fusius enarraret, cetera quae commemoranda essent breviter tantum et veluti in transitu indicans; nam saepe immoratus est rebus quae, ut ab argumento quod tractabat haud alienae, sic ad ipsam illam iram eiusve effectum illustrandum minime erant necessariae, fortasse ne utiles quidem, — ad eventum tendens semper, nunquam festinans; identidem in itinere subsistens vel secedens, ut florem carperet vel ut oculos pasceret vallis rivi saxi alicuius adspectu, nunquam tamen oblitus e diverticulo in viam redeundum esse. Difficile profecto intellectu hoc est nobis qui nunc vivimus, qui magnum librum magnum malum ducimus neque longas epistulas sed chartulas apertas amicis mittere solemus, tantum olim hominibus fuisse otii, ut narrationibus adeo prolixis sive poetarum sive scriptorum qui pedestri sermone uterentur non patienter tantum praeberent aurem, sed egregie iis gauderent, plura semper et nova flagitantes, et eo magis laudantes carmen epicum, quo plures

[1]) Sic et *heroes* non cuncti semper menti poetae obversantur, sed singuli prouti res fert commemorantur, Phoenix e. g. tum demum cum ad Achillem hortandum requiritur.

heroes e carminibus antiquioribus vel aliunde cogniti in eo celebrarentur et quo crebriora praelia a poeta pingerentur, infinita arte variata semper. Sed hanc ob causam si quis credere nolit unius poetae opus esse Iliadem vel Odysseam, nihilo prudentius agat quam si praelongas illas fabulas romanenses, quibus multis saeculis post homines — non Graecos nunc dicimus vel Romanos, sed nostram ipsorum pueritiam et eos qui ante nos fuerunt, — impense sunt delectati, ab uno viro unave muliere singulas excogitatas et elaboratas fuisse neget; neque recte iudicet qui priscum poetam propterea vituperet quod alia ipsi eiusque aequalibus placuerint, alia hodie in artis operibus apprime soleant laudari. Unum drama „classicum" — ut nunc loquimur — cum agitur in scena hodierna, plurima et locupletiorum praesertim spectatorum subsellia vacare solent: ideone veri minus simile videtur quina dena deinceps dramata optimum quemque Atheniensium summa cum animi intentione saepe spectasse? Immo et ita rem se habuisse scimus et alia aliis hominum aetatibus fuisse studia, rem satis superque notam, inde quoque efficimus.

Nunc dicendum est de *temporis* in Iliade computatione [1]). Quae et maximi momenti est res et diu ab Homeri studiosis est neglecta. Discrepat autem hac in re Ilias ab Odyssea, ipsa vero sibi constat optime. In Odyssea passim commemoratur vel indicatur decem illud annorum spatium, per quod Achivi ante Troiam bellaverint, et ita indicatur ut eiusmodi versus e carmine sine detrimento contextus nullo modo possint evelli; tam lentum igitur belli decursum cogitavit huius carminis poeta quam Graeci recentiores, qui sumebant Achivos ante Iliadis initium per annos aliquot ... quid egisse? Nihil sane quod operae fuisset pretium, sed *πρὸσ γεωργίαν* credo *τῆσ Χερσοννήσου ἐτράποντο* Agamemnonis milites *τῆσ τροφῆσ ἀπορίαι*. Tales certe ostendit nobis scriptor multis sagacior et minime credulus Thucydides [2]): talia videlicet suadebat ratio temporum, ferebantur enim Troiani „*τὰ δέκα ἔτη*" *ἀντισχεῖν βίαι*. In Iliade vero ipsum belli Troiani initium enarratur et finis proximi

[1]) De hac quaestione primum disputavi in Mnemosynes fasciculo eo qui 1º April. 1906 prodiit.

[2]) Thuc. I 11. Cf. Plut. Homer 162.

haud uno loco fit mentio, intra paucorum autem dierum spatium coactae sunt res quas poeta enarravit; brevem igitur decursum post exordium haud diuturnum habuisse bellum non totidem quidem verbis dixit poeta, sed clare tamen et passim significavit. Singula nobiscum reputemus oportet.

Ilias cum incipit, Achivi nuper, vastatis per quas iter eos duxit insulis Troadi vicinis Scyro Lesbo Tenedo, in ipsum Troadis littus pervenisse sumuntur, — non, ut putarunt posteri, per novennium nihil agendo tempus in regione longinqua trivisse. Postquam appulerunt, Achilles nihil cunctatus regionem Troiae circumiacentem populatus est, urbes minus firmas Lyrnessum Pedasum Theben cepit, unde ingentem praedam et plurimos captivos rettulit, in his Chryseidem et Briseidem. Iamque supplex Achivos adit Chryses Apollinis sacerdos, qui impune adire eos potest, quippe sacrosanctus, utque filia sibi iusto pretio soluto reddatur petit, haec addens: *sic vobis dent numina*

ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν καὶ ϝοίκαδ' ἱκέσθαι.

In proxima autem Troiae vicinia Achilles per insidias cepit tres ipsius regis Troiani filios, nihil mali suspicatos, Issum Antiphum [1]) Lycaonem [2]), quorum duo pecora pascebant, tertius in fundo paterno operi domestico vacabat; Aeneam autem Priami agnatum Dardaniae principem quin caperet parum afuit [3]). Illuc enim nuntius de Achivis maris oram obtinentibus nondum pervenerat. Lycaon autem regi Lemni venditus, dein a patris amico redemtus, ad suos rediit, et duodecimo die ex quo Troiam denuo pervenit ab Achille est interemtus, eodem die quo Hector.

Ergo haec computatio potest iniri et omnino ineunda nobis est, quia ipse Iliadis poeta eam iniit:

Ilias incipit die ante Hectoris mortem 10 [4]) + 12 [5]) + 6 [6]) sive 28^0, aliquot autem diebus ante carminis initium Achivi in littus Troadis appulerunt. Quot diebus?

Dicamus *quindecim*, hoc enim temporis spatium prorsus suf-

---

[1]) Cf. *Λ* 104—106.
[2]) Cf. *Φ* 35—48 et 81 sq.
[3]) Cf. *Υ* 90—94, 188—194.
[4]) Cf. *Α* 54.
[5]) Cf. *Α* 493.
[6]) Cf. *Β*—*Χ*.

fecisse videtur ad vastandos Troadis agros et urbes apertas [1]; fortasse etiam paullo minorem dierum numerum cogitavit ipse poeta, maiorem autem admittere vix videntur quae narrantur de Lycaone. Si tamen *viginti quinque* statuere mavult quispiam, ut non *quadragesimo tertio* sed *quinquagesimo tertio* belli die occisi fuerint Lycaon et Hector, per me id licet; ad summam enim rei vix quicquam refert. Is autem quem statuimus numerus si probatur, Achivi Troiam ceperunt post dies $43 + x$ quam in Troadem pervenerunt, et x illud in mente poetae non longam dierum seriem significasse testantur quae de Achille quam primum post Hectorem morituro [2] et de Hectore unico Troiae servatore [3] in Iliade leguntur. Non enim neglexit poeta noster urbis interitum, quem non capiebat ambitus carminis quod erat de Ira Achillis, sed praesensit et praedixit Andromache [4], praesensit Hector [5], praesensit Priamus rex et veluti pinxit ante mentis oculos sibi versantem [6], ab ipso sic poeta praedictum audientibus.

Trium igitur fere *mensium* sive *unius aestatis* bellum sibi finxit poeta Iliadis. Vere in Troadem pervenerunt, per calores aestivos pestilentia sunt vexati, brevi post urbe capta [7] domum redierunt [8]. Quatuorne quam tres menses statuere mavult quispiam? Non assentiar, nec tamen hac de re disputare operae pretium erit opus poetae et res fictas considerantibus. Sed multo maius temporis spatium si quis sibi fingit, testes recentiores, non Iliadis poetam

---

[1]) Singulis diebus aliquot urbes deinceps captas exempli gratia e Thucydide III 96 § 2 novimus.

[2]) Cf. *Σ* 96 al.

[3]) Cf. *Ζ* 403.

[4]) Cf. *Ζ* 410—412.

[5]) Cf. *Ζ* 448—465.

[6]) Cf. *Χ* 60—76. — Etiam *Β* 299 sqq. *Δ* 164 sq. *Ι* 49 *Μ* 10—35 huc pertinent.

[7]) Sub Thargelionis finem, secundum Parvam Iliadem.

[8]) Haec postquam et scripto et voce saepius exposui, incidi in Heynii haec verba (Il. Vol. V p. 395), quae dudum cognoscere potui, nondum tamen adverteram: „si nono demum anno inter Rhoeteum et Sigeum appulerunt Achivi, . . . multis difficultatibus carebimus; ita enim nec vernam nec hibernam amnium eluviem experti erant." En verum repertum, quod ipse tamen Heyne repertum abiecit haec addens: „verum ad ipsum poetam haec non spectant", res revera gestas a poetae narratione sic distinguens. — Miram huius quaestionis solutionem proferebat Pherecydes: Achivos novem annos *Deli* transegisse, et tum demum in Troadem venisse (Tzetz. ad Lycophr. 370).

sequitur, equum ligneum et Amazones et Memnonem et Neoptolemum et quos non cogitans.

Priamus autem cum primum rescivit Achivos bellum parare, cives armavit et convocavit socios [1]. Quorum qui Troiae vicini erant, mox adfuerunt *νέον πολέμοιο μετὰ κλέοσ εἰληλουθότεσ* [2]; qui vero tenebant sedes longius remotas, alii aliis serius in urbem pervenerunt, partim tum demum cum Achivi Troadis oram iam obtinebant. Sic Paeones Troianorum exercitui se adiunxerunt dum Achivi propter regum rixam desidebant [3]; Dolon decimo post eos die cum suis adfuit, secundo praelio iam finito [4], et eodem die ex Ascania novae copiae accesserunt [5].

Hactenus quae ex Iliade attulimus, optime cum in ceteris rebus tum temporis habita ratione inter se congruebant. Nullum vero vestigium Iliadi si impressisset opinio aetatis recentioris, quae bellum Troianum decennale fuisse sibi persuasit, portentum id esset dicendum et creditu paene maius. Itaque non id est quod miremur, aliquam huiuscemodi labem in Iliade indicari posse, sed tam raros esse versus, qui huiusmodi erroris aliquid habeant. Nam non nisi tres loci nunc sunt indicandi [6]. Quorum ultimus a nemine unquam est defensus aut potuit defendi, dicit enim ibi Helena vel *vigesimo* anno patria se carere:

ἤδη γὰρ νῦν μοι τόδ' ἐϝεικοστὸν ϝέτοσ ἐστί,
ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβην καὶ ἐμῆσ ἀπελήλυθα πάτρησ [7],

quae quis sine risu legat, qui mente haec Paridis verba teneat:

οὐ γάρ πώποτέ μ' ὧδε ἔροσ φρένασ ἀμφεκάλυψε,
ὥσ σεο νῦν ἔραμαι καί με γλυκὺσ ἵμεροσ αἱρεῖ [8].

Secundus ob ipsam dictionem suspectus est:

'πέρθετο δὲ Πριάμοιο πόλισ δεκάτωι ἐνιαυτῶι [9],

---

[1] Cf. praesertim *P* 221 sqq.
[2] Cf. *N* 364.
[3] Cf. *Φ* 155 sq.
[4] Cf. *K* 434, 493.
[5] Cf. *N* 793 sq.
[6] Praeterea hic mentio est facienda locorum horum, ubi aetate confectus dicitur Peleus: *Σ* 434 sq. *T* 326—337. Mitto nunc locos, qui dubii aut exigui momenti sunt: *Γ* 126—128, 156 sq. *Z* 419 sq.
[7] Cf. *Ω* 765 sq.
[8] Cf. *Γ* 442—446.
[9] Cf. *M* 15.

qui aut salvo contextu deleri potest aut sic e. g. refingi:

καὶ πόλισ εὐρυάγυια διεπράθετο Πριάμοιο,

aoristus enim, non imperfectum expectatur.

Primus autem locorum quos dicimus is est ubi Ulixes Achivis in memoriam revocat portentum Aulide tum adspectum cum expeditionem suscepturi essent [1]; cuius verba concinunt cum his verbis Agamemnonis:

ἐννέα δὴ βεβάασι Διὸσ μεγάλοὐ ἐνιαυτοί,
καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται [2].

Sed illum locum postmodo esse mutatum testantur ipsa quae Ulixes praemisit verba: „*o Agamemnon, Achivi non stant promisso quod tibi dederunt* ἐνθάδ' ἔτι στείχοντεσ ἀπ' Ἄργεοσ ἱπποβότοιο" [3], aptissima si rem etiam recentem orator spectet [4], mire vero dicta si ἔτι intellegendum sit *decimo abhinc anno.* Neque Ulixes dixisset: „ex quo exercitus Aulide profectus esset non nisi χθιζά τε καὶ πρωϊζά sive *his ipsis diebus* militum aliquos morte abreptos esse" [5], — pestilentiam ab Apolline nuper immissam cogitans, — si iam per novem annos continuos hi milites in regione hostili fuissent versati. Perquam praeterea infelix est, quam hodiernus Iliadis textus Calchanti tribuit, ostenti Aulidensis interpretatio; nam qui milites patriam relicturos hisce verbis alloquitur: „*expeditio quam initis diuturna erit*; *nam quemadmodum serpens iste novem aviculas devoravit, sic vos per novennium urbem quam petitis . . . non capietis, decimo tamen anno ea potituri,*" is non efficiet ut laeti iam in bellum proficiscantur viri illi, qui uxores et liberos et bona sua modo reliquerint, sed ut αὐτίκ' ὀλοφύρωνται ϝοῖκόνδε νέεσθαι, solus fortasse remansurus qui tendat in terram longinquam et ignotam, ad quam qui viam invenire possit solus sit ipse nec nisi deo ducente [6].

Sensit id Aeschylus, artis poeticae iudex haud contemnendus;

---

[1]) Cf. *B* 295 sqq.

[2]) Cf. *B* 134 sq.

[3]) Cf. *B* 286 sq.

[4]) Congruit Iliadis exordium, ubi et ipse Achilles *quam primum domum redeamus,* ait, *nisi sedari possit numinis ira,* — expeditionem nuper susceptam cogitans.

[5]) Cf. *B* 302 sq. — Ceterum rem oratorie elevantis haec sunt verba; nam *multos* Achivos pestilentia absumtos esse tum cum *πυραὶ καίοντο θαμειαί* et facile credimus et ex Agamemnonis ipsiusque Iunonis ore audimus *B* 115, 161, 177; cf. etiam *Γ* 99 sq.

[6]) Cf. *Α* 71 sq.

qui ita hac fabula est usus ut ostento *ipsam victoriam* Achivis promissam esse fingeret neque *temporis* ullam in eo fuisse mentionem [1]), non *aviculas* ceteroquin — sed hoc minoris est momenti — commemorans a *serpente* comesas, sed *leporem* a duabus *aquilis*.

Confidenter igitur statuimus poetam Iliadis aut de illo portento tacuisse aut — quae multo minus audax est suspicio et veri multo videtur similior — sic auguratum fecisse Calchantem: „*o Achivi, quemadmodum iste coluber vim intulit in nidum, ubi aviculae veluti in tuto aliquo praesidio latitabant, sic nos urbi quam petimus vim inferemus quantumvis firmae et remotae*," sive Graece:

ὦσ ἧμεσ Τροίην αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν.

Exemtis autem e textu hodierno versibus septem [2]) hic sensus verbis Calchantis redditur, pulcher ex molesto fit locus, Calchantis verbis allatis Ulixes refellit Agamemnonis desperantis clamorem:

οὐ γὰρ ἔτι Τροίην αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν [3]),

deletis denique Agamemnonis verbis iis quae supra attulimus [4]) nihil restat quod hac in carminis parte vituperetur.

At audio lectorem minime malevolum sic me interpellantem: „heus tu, qui perhibes in Iliade cantari initium belli brevi finem habituri, haud absurda quidem videri quae hactenus protulisti, si sola per se considerentur, non nego; quominus tamen tibi assentiar obstat argumentum gravissimum. Nam quomodo tandem fieri potuisse putas ut ipsos Graecos tanto studio per tot hominum aetates Homerum suum foventes ea laterent quae tu sero natus philologus adeo aperta esse contendis?"

Habeo quod respondeam. Nulla est causa ob quam is qui hac in re a veterum sententia discedat aut doctiorem iis aut sagaciorem se ducere credatur; non superbe vel — quod eodem redit — inepte se iactat qui Iliadem a nobis qui nunc vivimus melius quam ab ipsis Graecis intellegi posse autumat. Non enim ingenii aliqua calliditas vel laboris sollertia id effecit, sed ipsi tempori rerum edaci id debemus. Imagine fortasse clarius quid velim

---

1) Cf. Aesch. Ag. 108—130.
2) *B* 295 sq.ᵃ, 313, 325, 327, 328ᵇ sq.ᵃ.
3) Cf. *B* 141.
4) *B* 134 sq.

poterit indicari. Per urbis igitur plateas cum versamur, varias aedium creberrimarum frontes adspicientes, latet nos turris aedis sacrae in media urbe caelum petens, aut si veluti per transennam inter caminorum et tectorum culmina plurima apparet, ab his vix discernitur neque ceteris aedificiis multo altior videtur. At cum ex urbe egressi sumus, supra cuncta tecta turrem illam eminere videmus, et quo longius in via procedimus, eo altius caput suum illa erigit, donec horis aliquot praeterlapsis etiam respicientes solam cernimus veluti e campo plano et vacuo exsurgentem. Ut quae spatio distant, sic quae tempore. Graeci inter poesis epicae copias nati non facile percipiebant quid discriminis esset inter carmen antiquius et recentiora; Iliadem legentes quin huius carminis notionibus intermiscerent quae ex poetarum posteriorum operibus sibi innotuissent, vix et ne vix quidem poterat fieri, nam et nobis qui nunc vivimus difficile est ab hoc periculo satis semper cavere. Viginti annos patria caruerat Ulixes: ergo per decennium ante Troiam erat bellatum. Annos complures Menelaus insumserat sociis petendis, copiis cogendis, classi struendae: vigesimum igitur annum Helena Troiae transigebat tum cum Hectorem deflevit mortuum. Troiam ceperat Neoptolemus, quem Achilles tum genuit cum ante bellum Scyri latitabat: per illud igitur annorum spatium, quo Achillis hic filius adolevit, bellum est paratum et protractum. In Pelei et Thetidis nuptiis certamen dearum civit Eris: brevi igitur post rapta est Helena; atqui Achilles tunc ne natus quidem erat: ergo Troia a Neoptolemo Achillis filio post quadraginta fere annos est capta quam Venus Paridi amorem Helenae conciliavit. Sic crescente fabularum inter se coniunctarum copia etiam annorum crevit numerus, et bene factum quod *quadragenaria* saltem vix maiorem, non *sexagenariam* Helenam finxit recens ille cantor, qui ei Hectoris mortem lugenti tribuit verba quae supra attulimus; nam *hoc* potius — non mens quidem sana suadebat, sed annorum post Pelei nuptias praeterlapsorum docta computatio, et anus facta videri debuit regina simul cum ministra Aethra illa [1]), quae a nepotibus suis Acamante et Demophonte e Troiae incendio est abducta.

[1]) Γ 144.

Posteris autem ne venit quidem in mentem neglectis ceteris carminibus omnibus ad solam Iliadem animum advertere, ut ex hoc uno carmine discerent quae ipsi Iliadis poetae fuissent consilia. Nobis vero non iam molesta est ea operum variorum ubertas vel vicinia, quae veterum impediebat iudicium et oculos iis praestringebat. Nostros oculos duae turres ad se attrahunt solae, ex campo immenso et priscorum aedificiorum ruderibus late constrato surgentes; quas dum spectamus et admiramur, alteram alteri subsimilem quidem esse videmus, non tamen ab eodem artifice eademve aetate structam neque pari impetu sursum tendentem: celsum artis opus suspicimus Odysseam, celsius et antiquius Iliadem.

Sed illuc unde digressi sumus reversi et praetermissis tribus illis locis, quibus nocuit opinio poetarum recentiorum, reputemus nobiscum qualia igitur ipse Iliadis poeta temporis indicia, praeter ea quae supra iam deprehendimus, in carmine suo praebuerit.

Et primus iam omnium commemorandus est is, quem celebraturum se primo carminis versu poeta est professus. — „Nugatur Aeschylus" — non nos adeo contemtim de poeta clarissimo loquimur, sed Platonis haec sunt verba, ore Phaedri in Agathonis convivio prolata — „*Αἰσχύλοσ φλυαρεῖ* cum Achillem fingit Patroclo seniorem". Contemtim sic, sed optimo iure, loquitur Phaedrus Platonicus. Nam verae hae sunt nugae Aeschyli, Homerum sequi se arbitrati; qui poeta tragicus ne ipse quidem ab aevi sui errore immunis fuit, ingenio tamen Homero vix inferior. Achilles barbatus fingi quidem potuit in poesi antiquiore Musis haud invitis, sed non Homeri is fuit Achilles. Quem Homerus cecinit Achillem, is in bellum est profectus cum annos pueriles nondum prorsus esset egressus. Belli imperitum parentes in expeditionem longinquam miserunt [1], capillos pueriles etiam servantem; quos in patriam reversum fluvio paterno consecrare cum fatum eum non sineret, — mortem enim praematuram proximam instare sciebat, — amico defuncto mox praebuit donum funebre [2]. Filio iuvenili ardore flagranti Peleus comitem expeditionis dedit Phoenicem, qui ut suum ipsius filium eum diligebat et paedagogus ei fuerat [3]; comes praeterea ei adiunctus est Patroclus amicus, senior

---

[1]) Cf. *Ι* 440—443. [2]) Cf. *Ψ* 141 sqq. [3]) Cf. *Ι* 485—495.

et prudentior [1]. Quid autem mirum, adolescentem generosum fortem vitae ignarum, quippe aetatis annum vixdum duodevigesimum agentem, cum mox expeditione strenue et feliciter suscepta plurimam praedam in castra Achivorum littus Troadis obtinentium contulisset, accepta subito iniuria immerita furore esse abreptum et irae cuncta posthabuisse! Ad gremium autem matris, quae cura sollicita, veluti a surculo tenello, ab eo arcere solebat quae possent nocere [2], tum confugit dolore confectus, ut saepe fecerat puer, et flebili voce contumeliam sibi illatam conquestus flagitavit ut breve vitae spatium — morti enim debitum se — fama certe illustraretur. Verus dein puer irae immodice indulgens comites expeditionis despicatui habuit omnes, sontes insontes, disco ludere suos milites iubens dum ceteri Achivi bellum internecivum adibant [3], et ad citharam veluti inter otia domestica ludibundus ipse cantans cum profligatae Agamemnonis copiae minas hostium in proxima castrorum vicinia exsultantium expallescerent [4]. E tabernaculo suo adspexit cladem Achivorum [5], et postquam Hector ipsa castra sanguine miscuit et faces in naves intulit, Patroclum animo penitus perculso accurrentem ridens et ea voce qua impense mirantes utuntur causam doloris nimis bene sibi cognitam rogavit: „Eheu „Patrocle, quid dolet? Lacrimasne, puellulae similis? Non tamen „patri tuo male est, opinor, neque meo! Nam tam ineptum te „esse ut Achivorum mala doleas sua culpa pereuntium, id quidem „non admitto!" [6] — „Domum redeo!" „Domum cras redibo!" identidem minatus est ira exaestuans [7], nec tamen abiit domum, pugnare enim et nolebat et volebat, veritus ne „aufugisse" dici posset [8]. Precibus autem Agamemnonis nihil mollitus et dona ab hoc rege sibi oblata aspernatus „cuncti mox Achivi" clamavit „ad pedes meos provolventur!" [9] non regis legati soli per silentium nocturnum in tabernaculo me sunt adituri, sed totus exercitus supplex circumfusus a me opem petet, nullam nisi in me, quem ignominia a rege iniquo tunc siverunt obrui, sibi spem salutis

1) Cf. *Λ* 787—789.
2) Cf. *Σ* 67 sqq.
3) Cf. *B* 774.
4) Cf. *I* 186.
5) Cf. *Λ* 599 sqq. *Ω* 394 sq.
6) Cf. *Π* init.
7) Cf. *A* 169 sqq. *I* 356—363, 427—429.
8) Cf. *A* 173.
9) Cf. *Λ* 609 sq.

relictam esse probe sibi conscii. — At eo usque procedere rem non siverunt numina, sed immodica illa iuvenis superbia, quae prohibuit quominus Meleagri exemplo sibi monstrato tum cederet cum ferret tempus, fracta est morte amici dilectissimi, quem ipse in mortem miserat ut eo, quod ipse abiecisset, fungeretur ducis officio. Ira iam cessit luctui et vindictae studio: ruit Achilles in pugnam, Troianos devicturus et Hectorem occisurus, cuius mortem ipsi sibi fatum mox illaturam sciebat, „tanti est!'' sibi dicens: „non inultus iacebit Patroclus, neque diu iacebit solus!'' Et postquam novo sic et vehementissimo affectu perculsus veterem iram ex animo dimisit, unius noctis luctu maturatus, vir prudentior et tristior factus ex adolescente impetuoso, cum Agamemnone rediit in gratiam [1]) et amicum ultus funere sepelivit honorificentissimo.

Hanc Achillis imaginem et novimus omnes et admiramur, ab Iliadis poeta arte exquisita elaboratam. At Phoenicis illum alumnum et *φίλον τέκοσ* [2]), Thetidis illum filium de vitae summa nimis brevi cum lacrimis in matris ulnis conquestum, iuvenem illum cum capillis puerilibus etiam iracundiam servantem puerilem et aerumnarum quam aetas maturior aufert impatientiam, crede iam per integrum novennium bello exercitatum et vitae vicissitudinibus induratum esse: evanescunt imaginis quam poeta pinxit flos et decus, ut colores de alis papilionis duro digito detersi; ieiuna videntur fieri quae modo perplacebant utpote ipsas res humanas ex vero referentia, risum movent quae modo lacrimas suscitabant; in viro vitae haud imperito indignamur eam pervicaciam quam in adolescente facilius ferebamus, odiosus fit heros qui modo commiseratione videbatur dignissimus. Itaque dictum est: „poetam temporis decursum neglexisse'', id poetae licuisse videlicet, fortasse etiam singularem aliquam virtutem eius operi praebuisse, — et aliquid se dicere arbitrati sunt qui sic loquebantur. Sed neque pictoris est spatii nullam habere rationem, neque poetae hominum fata enarrantis est tempus ipsamve vitam mortalium neglegere.

Achillis igitur res enarrantibus novennium illud est molestissimum: de *Helena* autem belli causa cum loquimur, plane intolerabile fit temporis hoc spatium vel etiam maior illa annorum series,

---

[1]) Vix tamen ex animi sententia; cf. *T* 146—148 et *Ψ* 37.

[2]) Cf. *I* 437.

quam statuerunt posteri, bellum Troianum per decennium paratum, per alterum decennium gestum fingentes [1]). Ipsi Iliadis poetae si aurem praebemus, nuper Paris regis Troiani filius fortis et audax Helenam cum plurimis opibus rapuit frustra renitentem et eiulantem [2]). Huius igitur facta iam est uxor: cepit sibi uxorem Paris, non emit. Mox vero Troiae adest Menelaus suam et sua repetens [3]): qui re infecta reversus bellum parat. Illa interim in urbe peregrina languet [4]), pristinum maritum et domum desiderans; quo maiore laetitia afficitur cum nuntius affertur adesse amicos cum exercitu, ipsum ante muros adesse Menelaum. E turri adspicit Achivos, et Priamo interroganti singulorum ducum dicit nomina; fratres non videre se miratur, quos intra breve illud tempus, per quod ipsa e patria afuit, morte esse absumtos suspicari non potuit [5]). Pugnam inituri sunt Paris et Menelaus: victoriam sperat ei cui olim nupsit. Sed incolumis ad eam revertitur Paris: „Rediistine? utinam illic periisses!" eum increpat. Ipsius tamen Veneris minis territa cedit, quamvis invitissima [6]), et „utinam prius essem mortua quam talia paterer" ingemiscens [7]). Hanc carminis partem praestantissimam cum perlegimus, si sumendum est iam novem — an undeviginti? an fere quadraginta? — annos praeterlapsos esse ex quo Paris eam vi Troiam abduxerit, tempus igitur per quod vitae novae adsuesceret haud defuisse, misere corrumpuntur omnia. Etiam miserius, si id quoque credamus recentioribus, haud invitam eam Paridi olim cessisse et sponte eum Lacedaemone esse secutam, mulierculam amoris impotentem,

ἣ τοὺσ θυλάκουσ τοὺσ ποικίλουσ
περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα καὶ τὸν χρύσεον
κλωιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα,
ἐξεπτοήθη, Μενέλεων ἀνθρώπιον
λῷστον λιποῦσα [8]).

---

[1]) Cf. Ω 765 sq. et supra pag. 20.

[2]) Cf. B 356 (= 590). Quousque descendendum sit interpreti qui hanc rem non agnoscat, docet vetustum de hoc versu scholion.

[3]) Cf. Γ 205 sqq. Δ 139 sqq.

[4]) Cf. Γ 176.

[5]) Cf. ἤδη Γ 243.

[6]) Cf. Γ 400–412.

[7]) Cf. Z 348 sq.: „τάδε ϝέργα" dicens nuper raptam se clare significat.

[8]) Cf. Eur. Cycl. 182 sqq.

Ad *Priamum* venimus. Qui cum Helenam rogat: „quis iste est dux Achivorum et quis iste?" nemo, qui quaestionis in qua versamur sit ignarus et sola poetae verba secum reputet, in animum sibi inducet de exercitu iam per multos annos regionem vastanti sermonem fieri. Recentia esse sentimus omnia quae aguntur; recens est Achivorum furor martius, recens metus eorum qui petuntur, neque per annos compluscules in specula stetit Priami filius Polites, ut nuntium Troiam perferret cum primum hostes e littore urbem versus tendere videret [1]). Neque „tandem ad ipsam Troiam oppugnandam Achivos se convertisse" nuntiatum est Priamo, sed: „bellum coepisse" [2]).

Menelai autem et *Paridis* pugna singularis aptissima est illi loco quo eam collocavit poeta, recenti iniuria et sub ipsum belli initium. Uxorem reddi sibi poposcit Menelaus: denegata est; iam cum exercitu adest ad sua repetenda, et armatus ei opponit se Paris. Annos intersere novem — an maior numerus dicendus est? — et languent omnia, plane autem inepta fiunt quae poeta narrat de Menelao sollicito *„μή τι πάθωσιν Ἀργεῖοι, qui sua causa"*... multosne per annos aerumnas militiae sint perpessi? minime: — *„τοὶ δή ϝέθεν εἵνεκα πουλὺν ἐφ' ὑγρὴν ἤλυθον εἰσ Τροίην πόλεμον θρασὺν ὁρμαίνοντεσ," qui trans latum mare in bellum se sint secuti* [3]).

Et de *Hectore* quid statuimus? Credimusne eum cum bellum circa Ilium aestuaret thalamum in aedibus paternis sibi struendum curasse et uxorem duxisse? Immo testis est Astyanax puerulus infans, eo tempore quo parentes matrimonium inierunt Troianos de bello ne cogitasse quidem, sed et Ilium et Thebam, Andromachae urbem natalem, laete per pacis quietem tum floruisse, tum cum viri Troiani agros colebant, pecora pascebant, arbusta curabant, et mulieres ante Ilii portas in fontibus haud procul ab urbe sitis vestes lavare solebant, laetis confabulationibus interim taedia fallentes [4]). Et „ignem afferte" cum Hector clamat „quo naves istas deleamus! quae quod huc appulerunt, senum ea est culpa, qui aggredi eas volentem me retinuerunt" [5]), de quonam tempore eum loqui putamus? Primam autem facem intendit in

---

1) Cf. *B* 794.
2) Cf. *B* 797.
3) Cf. *K* 27 sq.
4) Cf. *X* 154—156.
5) *O* 718 sqq.

navem quae Protesilaum in Troiae oram advexerat ... quando? nono anno ante? immo nuper, in patriam non rediturum.

Principes hactenus commemoravimus solos, et dixerit fortasse quispiam, e carminibus antiquioribus talia fuisse transsumta; Iliadis poetam ipsum quidem decennale sibi finxisse bellum, sed imprudentem multa in carmen suum admisisse quae cum temporis decursu conciliari non possent. Hoc si quis dicat, infeliciter profecto disputet, non enim psittacus fuit Iliadis poeta! Sumamus tamen eiusmodi quid obici nunc aut obici posse. Indicabimus igitur crebros locos, ubi non Menelai Helenae Hectoris ceterorum, qui diu ante Homerum a priscis cantoribus sunt celebrati, fit mentio, sed secundarum et tertiarum partium qui fuerunt heroes eo consilio commemorantur ut varia et vivida fiat ea, quam verbis poeta pingit, belli imago. Ibi profecto suus est poeta, sui ingenii fetus edit, non aliena refert. Indicabimus *Mercurium*, cum sub finem Iliadis Myrmidonum aliquem esse se fingit, iuvenis πρῶτον ὑπηνήτου sumta figura prodeuntem, iuvenes igitur ut plurimum vicenarios, non viros tricenarios Achillis milites esse docentem [1]. Qui „sorte cum fratribus ducta se λαχεῖν ἐνθάδ' ἕπεσθαι" cum ait, *decennem* in bellum profectum credant necesse est qui vulgatae tempus computandi rationi fidem habeant. Indicabimus *filiolum Sarpedonis*, quem pater in bellum profectus reliquit infantem, sub belli finem etiam νήπιον ὄντα [2]. Indicabimus Troianorum socios plurimos, quos *nuper* in bellum profectos testantur quae de iis narravit poeta: *Pandarum* [3], *filios Eurydamantis* [4], *filios Dioclis* [5], *Iphidamantem* [6], *Imbrium* [7], *Othryoneum* [8], *Melanippum* [9], *Euphorbum* [10]. Indicabimus *Nestorem*, quomodo bellum sit gerendum milites docentem [11] ... postquam per novem annos bellaverunt? Indicabimus *vallum* illud [12], circa quod praelia interpretum diu aestuarunt vix minus acria quam fuerunt ipsorum Achivorum et Troianorum, aptissimum si belli initio structum fuit propterea quod urbs primo impetu capi non potuisset, mirificum si nono

[1]) Ω 347 sq. + 397—400.
[2]) E 478—480 + 688.
[3]) E 192 sqq.
[4]) E 149 sq.
[5]) E 550—560.
[6]) Λ 227 sqq.
[7]) N 172—175.
[8]) N 363 sqq.
[9]) O 547—551.
[10]) Π 811.
[11]) B 362—366. Cf. etiam Δ 303—309.
[12]) H 337 sqq.

demum belli anno exacto Achivi eiusmodi consilium inierunt. Indicabimus locos ubi ipsa *verba*, quae ante bellum inceptum Achivi et Troiani inter pocula iactarint, etiam in eorum memoria vivere apparet [1]), — donec „desine tandem!" ille clamet: „sat „verborum, do manus; belli initium, non ultimam eius partem, „in Iliade cantari concedo".

Aliis fundamentis innititur Odyssea. Cuius carminis poeta saepius professus est Troiam decimo demum belli anno esse captam. Easne igitur res, quae in Iliade narratae sunt, initio anni ultimi gestas esse sumsit? An bellum etiam post mortem Patrocli Hectoris Achillis per annos aliquot continuatum esse? Non liquet, sed hoc fortasse suspicari licet, quoniam rem quae ante illorum heroum obitum gesta esset poeta nullam indicavit, quae vero postea, complures; Memnonis enim et Neoptolemi et equi lignei haud uno Odysseae loco fit mentio. Quicquid id est, — nam in ea quae sciri nequeant inquirere non expedit, — viventem temporis mensuram, ut ita loquamur, in Odyssea praebet Telemachus, Ulixis filius adultus [2]). Bellum habuit initium ante annos viginti quam acciderunt res quae in Odyssea enarrantur: per decennium Ulixes bellum illud gessit, dein per alterum decennium oberravit.

Subest autem Odysseae, ut Iliadi, magna fabularum ipso poeta vetustiorum copia; in quibus fabulis item decennale fuisse bellum Troianum vel errores Ulixis per duo lustra fuisse protractos, non est cur putemus. Immo Telemachum a fabula, quae fuit de Ulixis reditu, aliquando fuisse alienum, — ut Neoptolemum a fabula quae fuit de Achille, — quivis sentit, et cum bello Troiano Ulixis errores olim ne cohaesisse quidem aut certum est aut veri simillimum. Sed de origine materiei, qua Odysseae poeta usus est, non iam disputamus, seduli semper caventes ne quae ad carminum materiem et quae ad carminum compositionem pertineant inter se commisceamus. Ipsam autem Odysseam cum spectamus, Telemachum ex hoc carmine sine vi evelli non posse statim apparet, firmiter enim locum suum inde a carminis exordio usque ad finem obtinet. Patrem quaerit, dein agnoscit, dein agnitum adiuvat: —

---

1) Θ 229 sqq. Υ 84. Cf. etiam Ι 252—259 Δ 783—790.

2) Cf. λ 447—449. Eodem tendit mentio Neoptolemi (λ 506 sqq.).

exime eum e carmine, et ipsum carmen perit in fragmenta misere divulsum.

Tantum igitur temporis intervallum intercessit inter compositionem Iliadis et compositionem Odysseae — non dicimus: inter compositionem carminum antiquiorum, unde uterque poeta materiem suam duxit, de quorum carminum nunc deperditorum et nobis ignotorum aetate ne conici quidem cum probabilitatis aliqua specie potest quicquam, veri autem haudquaquam est dissimile poetam Odysseae vel antiquiores fabulas in usum suum convertisse quam poetam Iliadis, — sed inter natales Iliadis et natales Odysseae tot anni sunt praeterlapsi quot satis fuerunt ad hominum opinionem de spatio temporis, per quod ante Troiam bellatum esset, tantopere mutandam. Nam nisi multa obstarent quominus poetae Odysseae Iliadem ignotam fuisse crederemus, suspicari possemus non annorum potissimum sed locorum magno discrimine alterum carmen ab altero fuisse separatum: aliam in alia regione famam secutum esse poetam Iliadis, aliam Odysseae. Qui vero credibile id esse negat, — neque aut alii sunt qui perhibeant aut ego perhibeo, — statuat necesse est Odysseam multis annis esse recentiorem quam Iliadem; hanc non partim sed totam et talem qualem hodie eam legimus — exceptis versibus nonnullis spuriis [1]) et aliis vitiis, quae textus postmodo contraxerit, — dudum extitisse ante Odysseam conditam. Quamdiu? Unumne saeculum intercessit an maius minusve fuit temporis intervallum? Nescimus.

Neque idem tempus, neque vero eandem poetarum indolem utrumque carmen prodit. Magni poetae sunt ambo, maior tamen fuit poeta Iliadis. Hic Musa confisus in aurem sibi quaelibet insusurranti cantat quae vera esse scit: ille argumentatur et ratiocinatur [2]). Iliadis poeta verbis pingit quae mente vidit, et imaginibus abundat eius dictio, quia imagines plurimae, tam clarae et tam variis coloribus distinctae quam ipsa praebent vita et solis lux, ante eius mentem versantur et crebras comparationes ei offundit

[1]) Cf. p. 20–22.

[2]) Iterum nunc hanc commentationem edens ex Caroli Rothii libro egregio, qui interim prodiit (die Ilias als Dichtung, p. 100), Goethii haec verba affero: „Schiller war nicht für vieles Motivieren, ... ich dagegen motivierte zu viel." En inter Schillerum et Goethium idem intercedens discrimen quod inter Iliadis et Odysseae poetas.

ingenium versatile: poeta Odysseae narrat. Et optime quidem narrat, suavissime saepe, nunquam taedium movens, mentem audientium aliorsum aberrare ne per minimum quidem temporis articulum sinens, saepe cor iis demulcens atque percellens, dum arte egregia et artem tamen celans ad finem deducit rerum quas refert telam multifariam perplexam. Iliadis poeta hominum varia ingenia, varias virtutes et vitia pingit manu peritissima, et efficit ut sentiant omnes qui ad eum animum advertant ita fieri debuisse quae audiant facta esse: Odysseae poeta et ipse homines ad verum ita pingit ut moventes et agentes videamus, sed cordis studia et affectus in iis difficilius agnoscuntur; rerum varii casus dum nobis enarrantur, exquisito verborum lenocinio detinemur admirabundi et quid porro acciderit scire avemus, quid futurum fuerit raro praesentimus. Illic regnat necessitas, hic fortunae potius res humanae permissae videntur. Itaque cura sollicita Odysseae poeta dat operam ut veri similia videantur quae enarret; qualem curam aspernabatur poeta Iliadis, addubitari enim non posse quae Musa eius ore loqueretur. Minerva cum Penelopes in clauso cubiculo dormientis lectum adit, quomodo dea illuc pervenire potuerit auditores certiores facit poeta Odysseae: per rimam videlicet iuxta vectis lorum patentem irrepsit [1]. Ad Calypso in remotissima insula vitam solitariam viventem cum accedit Mercurius, „eum norat tamen dea", poeta ait: „omnia enim inter se cognita sunt numina" [2]. Ulixi apud Calypso cenanti alius cibus alia potio apponitur atque deae: alioquin enim immortalis ille futurus erat [3]. Arcam Ulixes constringens nodo utitur artificioso, qui ab aliis solvi et refingi nequeat: „hunc nodum eum docuerat Circe" [4]. Verba quae Iuppiter Soli apud se conquesto respondit referens Ulixes „haec Calypso mihi narravit", addit, „cui dixerat Mercurius" [5]. Multa quae sunt huiuscemodi habet Odyssea [6]; qualia Iliadis poeta solebat neglegere et veluti contemnere.

Musam uterque poeta invocat carmen incepturus, sed non idem

---

[1]) Cf. δ 802.
[2]) Cf. ε 79 sq.
[3]) Cf. ε 197 et 199.
[4]) Cf. ϑ 448.
[5]) Cf. μ 389 sq.
[6]) Praeter locos modo laudatos cf. α 320 ϑ 453 ι 163—165, 338 sq., 428, 506—512 κ 222 sq., 330—332, 569—574 ν 113 π 456—458.

utrique est vocis sonus. „Incipe carmen, Musa" ille ait: hic „dic mihi Musa virum". Poeta Odysseae non, ut Iliadis, post Musam latitat, non ut ille humiliter superbiens Musam suo ore locuturam profitetur, sed ipse narraturus est quae Musa se edocuerit. Esse aliquem se, esse aliquid sua carmina, scit et palam proloquitur, alios cantores honorifice saepe commemorando se ipse urbane commendans aurem praebentibus [1]). Dis veluti familiariter utitur: a deabus Calypso et Circe heroem suum humaniter amatum finxit, Minervam veluti comitem et sociam ei eiusque filio in vitae quotidianae negotiis adiunxit [2]). Demodoci autem cantoris ore amores Martis et Veneris ita cecinit ut in iocos impios abierit priscus hymnus qui erat de illorum caelitum nuptiis rite celebratis. Sed ad ipsas deorum sedes non tetendit eius ingenium; quas Iliadis poeta mentis oculis olim viderat splendida luce perfusas, cum solis nuntia illuc accederet Aurora roseis digitis peplum croceum continens: — „aiunt illic degere numina" poeta Odysseae ait ipse [3]).

Duobus igitur poetis agnitis probamus sententiam τῶν χωριζόντων ἐκείνων, quibus Aristarchus ut docte sic invita Calliope olim est oblocutus, non vero recentiorum illorum interpretum, qui non solum Odysseam secreverunt ab Iliade, sed et utrumque carmen in frusta complura diremerunt. Et in illum quem modo reliquimus locum reversi rogamus denique quae igitur causae effecerint ut bellum Troianum post eam aetatem, qua vixit poeta Iliadis, per maius sensim temporis spatium in carminibus recentioribus protraheretur. In promptu est quod respondeatur: fabulis, quibus illud bellum celebratum est, famam obscuriorem variarum expeditionum a Graeciae gentibus in oram Asianam susceptarum partim inde ab initio subfuisse, partim postmodo esse subditam; plura identidem vetustorum heroum nomina, e variis Graeciae regionibus illuc aliquando profectorum, recepta esse intra orbem fabularum quas primi coloni Achivi e Thessalia olim in Asiam secum transvexissent; plures identidem fabulas fallacibus genealogiae vinculis inter se esse colligatas, et crescente rerum ambitu crevisse spatium temporis quo ingentem illam rerum copiam comprehendi

[1]) Cf. γ 267—270 θ 487 sq. λ 368 ρ 518 χ 347.
[2]) Cf. praesertim ν 363 sqq. τ 33 sq.
[3]) Cf. ζ 42.

necesse fuit, dum cavebant poetae ne heroes, quorum laudes cantabant, patrum vel etiam avorum suorum aequales viderentur.

Quomodo igitur Iliadis poeta carmen suum — non finxit de nihilo, sed cuiusmodi argumentum carmini quod moliebatur substruxit, materie usus quam e carminibus antiquioribus desumsisset? Ipse dixit in carminis exordio. Iram Achillis et huius irae effectum funestum cantaturum se profitetur. Iram illam et quae inde profluxerunt ipse excogitavit, non tamen in inani mentem versans neque nubibus ardorem poeticum nutriens, sed materiem quae praesto erat — denuo id dicimus — prouti e re videbatur et tunc usurpans. Nam principes, qui e variis Graeciae regionibus olim copias in eandem Asiae oram deduxerunt famae et lucro intenti, quin altercati saepius fuerint, fortasse et inter se dimicaverint, alter alteri invidentes, dubitari nequit, et eiusmodi rixarum echo quandam in carminibus Homero antiquioribus fuisse perceptam facile intellegitur. Quid quod Odysseae versus quidam, minus quam vellemus perspicui, tales tamen ut quadamtenus possint explicari, eam ipsam rem, quam veri similem modo dicebamus, ita ad oculos demonstrant ut prorsus certam potius vocandam esse appareat; nam prima argumenti Iliadis elementa ille Odysseae locus exhibet, partim iisdem, quibus ipse Iliadis poeta usus est, nominibus ornata, et tamen Iliadi dissimilia [1]. „Apollo „Agamemnoni ante initum bellum Troianum se interroganti respon„dit urbem hostilem prius capi non posse quam rixam iniissent „Achivorum principes; gavisus igitur est Agamemnon cum Achilles „et Ulixes graviter aliquando sunt rixati". Apollinis et principum duorum rixantium nomina vinculo quodam poetico coniuncta videmus: Apollinis et duorum principum rixantium nomina coniuncta praebet exordium Iliadis; sed alter princeps illic *Agamemnon* audit, hic *Ulixes*. Agnoscimus igitur in Iliadis exordio rudimenta fabulae ante poetae aevum natae, sed nihilo minus confidenter et illud exordium et totum carminis argumentum ab ipso Iliadis poeta e materie, quam prisca carmina praebuerint, fictum dicimus. Suam fecit materiem in formam ab ipso inventam cogendo.

---

[1]) Cf. ϑ 73—82.

Cur autem in hanc formam, non in aliam?

Inepti fortasse videtur hominis id rogare, ventum enim flare quo velit et poetae ingenium eo ferri quo ducant spiritus instinctusque divinus.

Est tamen meteorologiae quaedam ars, quae etiam in ventorum causas haudquaquam frustra inquisivit et quae caeco casui deberi diu visa erant probabiliter explicata certis legibus teneri docuit. Et ad eam quoque quam modo protulimus quaestionem responderi potest.

Quae res ut bene possit cedere, hoc unum mente tenendum est: Iliadis poetam, perinde atque ceteros omnes qui vixerunt viventve mortales, sui temporis fuisse filium, de plurimis igitur rebus aliter sensisse atque priorum aetatum homines, aliis studiis, aliis moribus, aliis placitis de rebus humanis et de divinis ipsum fuisse innutritum, alia in antiquioribus carminibus invenisse; ne ipsa quidem linguae qua utebatur vocabula idem ei significasse omnia atque illorum carminum poetis, multa nomina propria quae ab iis essent celebrata eum ignorasse, multa igitur in fabulis priscis non satis recte interpretatum esse. Itaque cum carminis materiem tractabat a maioribus acceptam, passim offendebat quae sibi essent obscura vel molesta. Quo autem erat mentis acumine et qua sollertia ingenii, non satis habuit mirari aenigmata vetusta et veri ignorationem fateri, sed fecit id quod post eum fecerunt plurimae illae hominum aetates, quibus in ipsis Iliade et Odyssea multa erant obscura et difficilia. Hi carmina epica legentes varias quaestiones sibi et aliis proposuerunt, quibus solutis illustrarentur et expedirentur quae in carminibus illis vetustis minus intellegerent. Etiam Iliadis poeta varias quaestiones ad prisca carmina pertinentes sibi proposuit, quas solvit ut potuit. Est Ilias *ἀποριῶν τριῶν λύσισ* — non a ludi magistro aliquo, qui artis poeticae esset expers, excogitata, sed a poeta ingeniosissimo, cui magis quam vulgo mortalium faverent Musae.

I. Quaestionum quas dicimus prima haec est:

Cur in multis carminibus laudes heroum qui ante Troiam pugnarunt habentibus inter Aiacis Ulixis Diomedis Idomenei aliorum clara nomina desideratur nomen Achillis omnium clarissimum?

Respondit sibi poeta: heroem igitur illum ceteris Achivorum ducibus aliquantisper comitem in pugnam non ivisse.

Cur autem?

Quod nollet videlicet! Nam volentem quis prohibiturus erat quominus hostes peteret!

Ergone noluit aliquando bellum gerere iuvenis ille generosus, fortis et audax et laudis appetentissimus? Quam ob causam? Quinam affectus in eius pectore plus valere potuit quam famae studium?

Fuit ira. Iniuriam sibi illatam indigne ferebat Achilles cum a pugna abstinuit. Irae illius causa est quaerenda: poetae erit hanc probabiliter fictam enarrare.

II. Quaestio secunda haec est:

Cur Apollinem, deum vere Graecum *πατρῷιον καὶ κουροτρόφον καὶ μάντιν*, in Phocidis antro Pythio cultum, ubi multarum aetatum pietas opes ingentes cumulavit [1]), non Achivis sed Troianis opitulatum ferunt plurima quae ad bellum Troianum spectant carmina vetusta?

Ergo — poeta ait — deum illum belli initio ab Achivis aliquo ipsorum delicto abalienatum esse apparet; nam antea iis faverat et vel per maris ignoti fluctus inter insulas et caecos scopulos iter indicaverat ore Calchantis vatis [2]). Cur inimicum e patrono factum senserunt cum illuc venissent?

Huius odii causam exponere Iliadis poeta suum duxit.

III. En autem quaestionem tertiam, secundae cognatam et similem:

Cur prisca quaedam carmina Iovem Troianis ostendunt faventem, non Achivis, quibus ipsa tamen eius uxor Iuno auxiliaretur?

Respondet poeta: fieri non potuit ut Iuppiter, deus Olympius, Achivis Troiam oppugnantibus — et optimo quidem iure oppugnantibus — perpetuo se praestaret infestum; apparet igitur certam fuisse causam ob quam aliquantisper Troianis opem tulerit Iunoni adversatus.

Quaerenda est ea causa: Iovi quae consilia tum fuerint cum Achivorum hostibus se sociavit a poeta exponi oportet.

Iamque poeta expromens quae fertile ei praebet ingenium —

---

1) Cf. *I* 404 sq.

2) Cf. *A* 71 sq.

vel, si quis mavult, nam aliis verbis idem sic dicitur: priscam materiem cogens in formam quam ipse finxit — trium quas diximus quaestionum solutiones ab ipso excogitatas sic coniungit in novi carminis hocce argumentum:

Sacerdoti cuidam *Apollinis* brevi post Achivorum in Troadis littus adventum contumelia est facta, quam ipse ille deus letiferis suis sagittis est ultus. Ea calamitate perterriti cum concionem fecissent Achivi, regibus inde nata est rixandi causa, et Agamemnon dux exercitus eo aberravit ut *Achillem* verbis et re ipsa laederet. Iratus Achilles Agamemnoni nullum porro adversus Troianos auxilium se laturum professus est et apud matrem Thetidem de iniuria sibi illata est conquestus. Thetis autem *Iovem* permovit ut Achillem ulcisceretur cladem Achivis inferendo.

Sic poeta solvit tres illas, quae male eum habuerant, quaestiones epicas; sic interpretatus est quae ipsius opinionibus contraria praebebant carmina vetusta.

At hoc argumentum postquam carmini quod conditurus erat substruxit, materiem quam prisca illa carmina ei praebebant parum ductilem identidem est expertus, neque semper ei contigit ut in eam imaginem, quam mentis oculis videbat, ita componeret omnia ut nulla pars asperior, nulla dura aut horrida videretur. Nam *Apollo* ille, qui circa carminis initium Achivis stomachabatur, mox quidem, cum satis sibi esset datum, pestilentiae quam iis immiserat finem fecit a sacerdote exoratus [1]), sed nihilo minus acriter etiam exinde iis est adversatus, Troianis nunquam non opem ferens, per totam Iliadem Hectorem et re et consilio adiuvans, animi deliquium passo vires restituens [2]), in ipsam victoriam eum ducens [3]); quem tum demum deseruit cum fato debitum etiam protegere non licuit [4]). Et *Iuppiter* postquam Troianos aliquantisper superiores fore decrevit, non quod ex animi sententia iis faveret, sed in gratiam Thetidis et Achillis, talem per totum carmen Troianis se praestitit socium ut dubitari nequeat quin vero et vivido amore eos dilexerit, caram sibi Troiam palam profes-

[1]) *Α* 451—456.

[2]) *Ο* 239 sqq.; cf. Aeneas morti ereptus et sanatus *Ε* 344—346, 432 sqq.

[3]) *Ο* 355—366.

[4]) *Χ* 213.

sus [1]), gaudens cum Troiani rem bene gesserunt, lacrimas flens sanguinolentas cum Sarpedoni, ipsius filio, auxilium iis ferenti institit mors [2]), Hectorem, qui ipso semper fuit confisus, servaturus si fata sivissent [3]), mortuo autem iusta certe fieri iubens [4]).

Ergone poetam vituperaturi sumus propterea quod *ἀσύγκλωστα συγκλώθειν* ei non concesserit rerum natura? Fecit quod potuit; sed in ipsius, ut in aequalium mente vivebant prisca illa carmina, unde sui operis materiem duxit, ipsa vetustate nobilitata et veluti consecrata: his aperte contraria dicere non licebat, etiamsi libuisset. Multa autem illa carmina praebebant a cantoribus vetustis pulcherrime inventa, ipsius carmini decus insigne additura, etiamsi cum huius argumento satis bene conciliari non possent: graviterne ferimus quod ea quoque sua fecit et contextui utcumque adaptavit?

An culpabimus eum virum, qui quae in artis vetustioris operibus repperit, partim non satis recte est interpretatus, suas ipsius opiniones in priscum aevum transferens, suum ipsius Iovem, suum Apollinem, suam Iunonem in carminibus maiorum agnoscere sibi visus? Poetae idne exprobrandum videtur quod poeta fuerit et artis poeticae studiosus, non eruditionis potissimum appetens, non res vetustas et aetatum praeteritarum homines ex vero cognoscere verbisque depingere quam maxime cupiens, non inter quaestiones archaeologicas mythologicas historicas geographicas vitam terens? Quod Homerus fuerit, non alter aliquis Thucydides?

Non tam erimus iniqui; non tam ineptam sententiam laturi sumus, sed grati accipiemus quae poeta dedit, non insuper ab eo poscentes quae dare non potuerit. Eas quibus in arte sua excelluit virtutes cum admirabundi agnoscamus, non arbitrabimur fieri non potuisse quin et aliis igitur virtutibus insignis esset, quas sicubi in eius opere desideremus, „manus alienas nos deprehendere" statim ideo suspicaturi. Non veri dissimile quodve credi nequeat esse perhibebimus, eum virum, qui priscas hominum aetates parum haberet cognitas, ita tamen exposuisse priscorum hominum indolem atque ingenium ut vivos sibi ante oculos versari credere possent qui aurem ei praeberent; non negabimus eiusdem viri

---

[1]) Δ 44—49.
[2]) Π 459.
[3]) Χ 168—185.
[4]) Ω 66 sqq.

fuisse imagines quae omnes artis numeros explerent verbis pingere et eas imagines minus feliciter inter se coniungere. Sui iuris ubi fuit poeta Iliadis, ea ipsa quae ferax eius ingenium peperisset proferens, ea pingens quae omnium aetatum omniumque locorum fuerunt, homines luctu et gaudio, odio et amore, spe et metu et variis animi affectibus incitatos in carmine suo exhibens, praestantissima finxit quaeque intimum cor nobis sero natis lectoribus permoveant: vetusta ubi verbis suis inclusa enarravit, frustra plus semel dedit operam ut in unum coniungeret quae temporis decursus et ipsa rerum natura dissociassent, quadrata rotundis adaptare se velle interdum ne animadvertens quidem, dum imaginibus aevi praeteriti et hominum sedes remotas obtinentium admiscet quae ipsius aetatem, ipsius gentem referant.

Uno certe exemplo quae ultima diximus videntur illustranda: aptum praebent currus bellici [1]). Cognita poetae fuerunt prisca carmina, quibus celebrarentur praelia heroum peditum, et cognomen quo Achillem inde ab Iliadis initio ornavit *πόδασ ὠκύσ* sive *ποδωκήσ* [2]) inde est natum; optime congruit imago quam pinxit Aiacis per navium tabulata ingentibus passibus incedentis [3]) vel Hectoris in urbem recurrentis clipeo in tergum reiecto [4]), et aliae imagines plurimae. At eidem e carminibus vetustis innotuerant heroes curribus bellicis usi; inde cognomen duxit *ἱππότα* Nestor et Troianorum nomini accrevit epitheton *ἱπποδάμοι*, ipsa Troianorum nomina propria equorum studium profitentur Hippothous Hippodamus Melanippus alia multa, regis Troiani equi creberrimi et stirpe divina orti passim celebrantur. Haec ita inter se conciliavit poeta ut potuit, revera igitur non conciliavit, fieri enim id non poterat, sed eam priscis heroibus tribuit praeliandi rationem quae viris veri belli peritis non potuit non infelicissima videri; fecit enim curru usque ad aciem hostilem vectos, dein vero inde egressos ut pedites pugnarent. Sarpedon e. g. adspecto Patroclo

ἐξ ὄχεων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε,
Πάτροκλοσ δ' ἑτέρωθεν ἐπεὶ ᾿ϳίδεν ἔκθορε δίφρου [5]).

Attamen in curru stabat Diomedes cum ipsum Belli deum Minerva adiuvante vulneravit [6]), et Nestor ille, qui bellandi et equorum

[1]) Cf. cap. IX. [2]) *Α* 58 al. [3]) *Ο* 676 sqq.
[4]) *Ζ* 116—118. [5]) *Π* 426 sq. [6]) *Ε* 851—858.

longe fuit peritissimus, suos milites de curru desilire vetuit [1]; utiles igitur currus — id quod vel sic putabamus — heroibus fuerunt ad hostes non assequendos tantum vel effugiendos sed et profligandos. Nunc igitur, si unquam, manifestum tenemus poetam diversa et inter se non congruentia in unam belli imaginem coniungere conatum.

Talia non carpemus, neque vero perhibebimus non esse factum id quod factum sit tamen, aut recte habuisse *λύσιν* trium illarum *ἀποριῶν*· supra indicatarum, quae carminis argumentum poetae praebuit. Suas virtutes habet carmen quod ex illo argumento est deductum, sed ipsum argumentum e poetae erroribus est natum; non ars dialectica virtutes illas carmini tribuit, sed sacer ille impetus, quo qui permoventur, verbis pingere conantur quae mentis oculis viderint.

Vix tamen videtur credibile, carmen epicum ex errore poetico esse natum? En igitur exemplum ex historia poesis Graecae desumtum et minime ambiguum, nam et carminis novimus argumentum, et errorem unde illud argumentum est natum, et poetam qui illum errorem erravit. De quo errore verba iam fecimus. Fuit is quo Helena aetatibus recentioribus adultera scelesta est visa. Tunc igitur homines rogarunt qui potuisset fieri ut bello exacto mulier illa impudica locum reginae Spartae denuo obtineret, Menelai uxor cara et honorata, qualem eam ostenderet Odyssea. Hanc, quam Ilias et Odyssea *ἀπορίαν* praebebant hominibus saeculo VI^0 viventibus, poeta Stesichorus ita solvit ut immeritum illud adulterii crimen fuisse sumeret: fallacem aliquam Helenae imaginem a Paride Troiam esse abductam, de hac umbra bellatum esse, ipsam interea castam et tutam apud Proteum regem in Aegypto delituisse, a Menelao Troia capta oberranti ibi inventam esse, dein domum reductam ceteram vitam feliciter et sine labe transegisse.

Sic finxit Stesichorus, veri partem — innocentem fuisse Helenam — perspiciens et ingenio liberrime indulgens, materie autem usus e priscis fabulis et carminibus desumta. Nam dea caelestis, non terrestris mulier aliquando fuit Helena *ἡ Διὸσ ἐκγεγανῖα*, et imaginem a numine ex aëre compactam, de qua Achivi et Troiani

[1]) Δ 303—307.

inter se certassent, Stesichorus duxit ex *Iliade*, in quo carmine Apollo Aeneae ex turba pugnantium abrepti aliquam umbram Diomedi obiecit [1]), Proteum autem et Aegyptum, ubi Helenam per tempus belli Troiani delituisse finxit, praebuerat ei *Odyssea*, ubi vel dona quaedam a rege Aegyptio Helenae data commemorantur [2]). Exorsus igitur ab his versibus:

οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος,
οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν ἐϋσσέλμοις',
οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίης

composuit carmen quod postea secutus est Euripides in Helena dramate, commemoravit Plato loco notissimo [3]).

Ergo Stesichorus e materie, quam praebuerant ei Ilias et Odyssea, effinxit carmen novum, ut ingeniose sic audacter et parum probabiliter excogitatum, e certo autem errore natum, quo errore luculenter ostendit in sua mente plus valuisse aequalium de Helena opinionem quam carmina illa vetusta, in quibus celebrabatur Helena sine ulla sua culpa a praedone abrepta.

Haud aliter aliquot ante Stesichorum hominum aetatibus poeta Iliadis versatus fuerat in materie carminum ipso vetustiorum tractanda, quae in priscis fabulis obscura sibi essent ut poterat interpretatus. Nihilo cautius, nihilo magis ex vero hic respondit ad quaestiones, quas sibi posuisset, quam post eum Stesichorus respondit ad quaestionem ipsis Homeri carminibus sibi motam.

Nam ad tres illas quas novimus quaestiones haec responderi oportuit, quae perspicere non potuit Iliadis poeta quamvis ingeniosus, nunc sero nati homines perspiciunt facillime:

Achillis nomen a multis carminibus vetustis propterea afuit quod non omnibus poetis epicis hic heros fuit cognitus; Aiacis vel Diomedis vel Agamemnonis vel Idomenei virtutem qui olim cantabant, tacebant de Thessalo illo heroe, cuius famam aut ignorarent aut non curarent. *Apollo* autem Achivis et tum cum primum ad Troadis littus appulerunt et per ceterum belli cursum infestus fuit propterea quod non Pythius ille deus erat, quem coluerunt Homerus

[1]) *E* 449—453.
[2]) *δ* 125 sqq., 228 sqq.
[3]) Plat. Phaedr. 243 *a*, *b*.

et posteriores, sed Troiae patronus, in huius urbis arce Pergamo habitans. Et *Iuppiter* Troianis propterea favit quod primitus non is fuit cui Homeri aetate sacra passim fiebant, deus Olympius, sed deus Idae montis, ad cuius radices Troia sita fuit; ex illo stirpem duxerunt Dardanus et ceteri Troiae reges [1]), ille Tithonum [2]) et Ganymedem [3]) principes Troianos in sedes divinas olim recepit, Troianis igitur *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε* ex vero dicendus; ille Gargara locum sacrum in huius montis cacumine obtinuit, ex edito illo loco urbem suam studio intentissimo defendens fulmina in hostes Achivos mittendo, acriter igitur adversatus Iunoni et Minervae Achivorum copias in bellum ducentibus, sed his deabus impar viribus [4]), impar etiam consiliis, deceptus videlicet a Iunone, cum vel corporis sui copiam ei facere ad victoriam populo suo parandam non esset dedignata.

Haec agnoscere non potuit poeta ille, cui Iuppiter esset *ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης*, pater deorum, in monte Thessalo sedem habens. Itaque in eius carmine deus Idaeus deo Olympio sive ipse sibi Iuppiter saepius est adversatus, et Iuno facta est uxor litigiosa atque fallax.

De aliis eiusdem generis molestiis, quales sunt Neptunus moenium Troianorum conditor et tamen Troianis infestus, vel Minerva urbis dea tutelaris eademque hostium patrona, nunc tacemus. Sed ut rem intricatiorem exemplo denique simplicissimo, notissimo, nulli ambiguo illustremus: Iliadis poetae, suae ipsius aetatis opinionibus nomina Iovis Iunonis Apollinis aliorum numinum adaptare cognato, idem accidit quod postea accidit *ἀρίστον, δεῖπνον, δόρπον* nomina in Iliade vel in Odyssea legentibus. Ea quibus ipsi utebantur nomina hi inveniebant in priscis illis carminibus, sed vim horum nominum post Homeri aetatem cum ipsis hominum moribus mutatam esse non sentiebant propterea quod ipsis ea nomina etiam vivebant: *meridionale* igitur tempus a poeta commemorari putabant cum *ἀρίστον*, *vespertinum* cum *δεῖπνον* in Iliade vel in Odyssea fieret mentio, et *δόρπωι* proprium diei tempus cum non

---

[1]) Cf. *Υ* 215. [2]) Cf. *Υ* 237 *Λ* 1. [3]) Cf. *Υ* 232 *Ε* 266.

[4]) Fabulae antiquioris vestigium servatum est *Α* 400: Iuno Neptunus Minerva Iovem vincire conati sive numina Achiva Troianum; ipsius vero poetae aetati convenit Iuppiter ceteris Olympiis cunctis validior *Θ* 18 sqq.

invenirent, poeticum id fuisse vocabulum, idem quod *cenam* valens, sibi persuadebant [1]), misere sic corrumpentes complures vitae heroicae imagines, ipsum quoque carminum Homericorum textum vitiis ex hoc errore prognatis corrumpi sinentes. Non *prandium* dic sed *Iovem*, non *cenam* sed *Iunonem* vel *Apollinem*, si parva licet componere magnis, et apparet cur fieri non potuerit quin Iliadis — vel Odysseae — poeta in priscis fabulis interpretandis saepius erraret.

Iliadis argumentum pepererunt errores quidam poetae, qui homo prius fuit quam carmina pangere coepit. sui igitur aevi filius, sui aevi opinionibus innutritus, sui aevi errores necessario errans. Haec causa effecit ut in carmen, quod ex suo ipsius ingenio ille exprompsit, multa irreperent quae carminis argumento non satis convenirent. Quod carmen ab eius inde aetate usque ad nostram non sane sine labe est servatum, nam et spurii versus inserti sunt multi et verbis nonnullis alia sunt substituta et eam formam multa verba induerunt quam recentius demum aevum iis tribuit, sed levissimi haec omnia videntur momenti cum primaria illa errandi causa comparata.

Malusne igitur historicus, malus topographus, malus theologus fuit Iliadis poeta? Fuit, et tamen — vel potius hanc ipsam ob causam — magnus poeta fuit, generis humani deliciae, cuius opus post saecula plurima vivido etiam iuventutis splendore nitet neque sine maximo ipsius humanitatis detrimento in oblivionem aut in contemtum abire poterit unquam.

Corollarii loco subiungo Iliadis *conspectum chronologicum*.

Quae ante carminis initium acciderunt, haec sunt:

Achivi convenerunt Aulidem ad repetendam Helenam Menelai uxorem, a Paride regis Troiani filio cum multis opibus vi raptam; dein classe in Troadem sunt profecti. In itinere ceperunt Scyrum, tum Lemni appulerunt, ubi comiter ab Euneo rege sunt accepti, dein Tenedum et Lesbum vastarunt. Mox incolumes pervenerunt

---

[1]) Melius olim Aeschylus fr. 181 „ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα' Palamedem Achivos docuisse cecinit.

in Troadem, ubi in littoris sinu acclivi postquam appulerunt hostibus frustra obnitentibus, in qua pugna Protesilaus est occisus, subduxerunt naves et tabernacula struxerunt. Proximis diebus Achilles, regum longe fortissimus, agros Troadis est populatus et oppida aperta Theben Lyrnessum Pedasum alia expugnavit; ex qua expeditione ingentem praedam et captivos plurimos, in his ipsius Priami regis filios tres, in castra adduxit. Iamque Ilias incipit.

Die I (*A* 1—52) Chryses sacerdos Apollinis ad Achivos venit, ut filiam captivam redimeret. Qui duris verbis repulsus ab Agamemnone, cui puella ea dono fuerat data, ad deum precatus est ut iniuriam sibi illatam ulcisceretur; quapropter Apollo Achivis immisit pestilentiam.

Diebus II—IX (*A* 53) pestilentia grassata est.

Die X (*A* 54—476) milites ab Achille duce Myrmidonum convocatos Calchas causam irae Apollinis docuit. Agamemnon autem cum puellam reddere recusasset nisi aliam sibi sisterent ceteri reges, Achilles cum eo rixatus bello se cum suis abstenturum professus est.

Diebus XI—XXII (*A* 477 sqq.) nihil egerunt Achivi, sine Achille Troiam urbem, ad quam expugnandam venerunt, aggredi non ausi; die autem XXII⁰ Iuppiter Thetidi Achillis matri cum promisisset se contumeliam eius filio illatam ulturum, Achivos ad pugnam sine Achille ineundam permovere et Troianos aliquantisper in bello superiores facere secum constituit.

Die XXIII (*B—H* 380) Agamemnon somnio fallaci a Iove misso permotus cum copiis — exceptis Myrmidonibus — Troiam petiit; quo appropinquante Hector exercitum Troianorum et sociorum ex urbe eduxit. Non tamen statim initum est praelium, sed convenit ut Paridis cum Menelao certamine singulari bellum decerneretur. Quod certamen cum certum eventum non habuisset, vario successu est pugnatum, urbem autem capere Achivi non potuerunt.

Diebus XXIV sq. (*H* 381 — finem) induciis duorum dierum initis [1]) combusta sunt mortuorum corpora, Achivi autem hostes fortiores quam putaverant experti navibus atque tabernaculis fossam atque aggerem praetenderunt.

---

[1]) Cf. quae ad *H* 430—435 sunt observata.

Die XXVI (Θ Ι Κ) pugna denuo inita Achivi inferiores facti in castra recesserunt; Troiani dein in planitie excubarunt.

Die XXVII (Λ—Σ) Troiani castra Achivorum oppugnarunt et vel ignem intulerunt navibus. In summo tum omnium periculo Patroclus cum Myrmidonibus ab Achille missus hostes reppulit, dein vero cum usque ad ipsam urbem incautius esset progressus, ab iis confossus est.

Die XXVIII (Τ—Ψ 108) ad amicum ulciscendum Achilles pugnam iniit et plurima Troianorum strage edita ipsum denique Hectorem interemit.

Die XXIX (Ψ 109—225) Patroclo funus est habitum.

Die XXX (Ψ 226—Ω 11) Patroclo tumulus est structus et ludi funebres in eius honorem sunt habiti.

Diebus XXXI—XXXIX (Ω 12—30) Achilles contumeliam fecit corpori Hectoris, quod tamen cura deorum intactum mansit.

Die XL (Ω 31 sqq.) Priamus cum Achillem supplex adiisset, filii corpus ab eo redemit.

Diebus XLI—LI (Ω 695 sqq.) Troiani induciis cum Achivis initis Hectori iustum funus habuerunt.

Hic finem habet Ilias. Bello dein continuato urbem brevi post vastatam esse poeta significavit, non enarravit.

II.

DE COMPOSITIONE ODYSSEAE.[1]

Die Frage, wie das Epos entstanden sei, darf nicht vermengt werden mit der vielleicht noch interessanteren und sicher noch schwierigeren, wie die Namen und Begriffe entstanden sind, die ihm zur Voraussetzung dienen.
CAUER Grundfragen² 326.

Ad Odysseam iam venimus. De cuius carminis poeta diximus nonnulla in commentatione priore, uni poetae id nos tribuere sic professi. Argumentum autem sui carminis hic poeta non tam claris verbis significavit quam is qui *Iram Achillis* cantavit et cantaturum se primo versu dixit. Odysseae poeta *virum versutum* post alios [2]) celebraturus est *capta Troia oberrantem*. Diuturnos igitur herois errores carminis materiem praebituros qui audierit, facile expectet carmen cuius compositio quam dissimillima sit compositioni Iliadis; huius enim carminis poeta materiem intra breve temporis spatium contractam — nam ira furor brevis est — circa firmum atque immobile quoddam centrum disposuit et cum centro illo singula ita coniunxit ut „ira" illa finita ipsum carmen ad exitum properaret.

Sed fallax verborum allatorum est species. Nam revera Odysseae

---

[1]) In hanc commentationem, quae primum prodiit in Mnemosyne 1 Ian. 1911, nonnulla recepi ex opere quod anno 1904 edidi patrio sermone conscriptum: *de Boogschutter en de Weefster*. Quae singula hic indicare inutile videtur.

[2]) „*καὶ ἡμῖν*" α 10.

poeta materiem sui carminis haud alia ratione construxit atque constructa est Ilias. Callidi herois errores varios, longinquos, per annos complures protractos enarraturum se dixit et revera enarravit, non ita tamen enarravit ut ipsam narrationem ab initio longae illius annorum seriei ordiretur; sed herois *reditum* sive *errorum* illorum *finem* fecit argumentum carminis, quod intra pauciorum etiam dierum orbem, quam sunt Iliadis, inclusit, clarius igitur quam fecit consilium suum indicaturus si ab huiuscemodi versu:

νόστον Ὀδυσσῆόσ μοι ἀγακλύτου ἔννεπε, Μοῦσα

carmen incepisset.

Dignus profecto qui carmine celebraretur fuit huius herois reditus. Et alii reges e bello Troiano domum redierunt, nullus autem clarior quam Agamemnon Mycenaeus, cunctorum princeps, — at idem ceteris cunctis infelicior; qui cum ex hostium telis et e maris fluctibus incolumis evasisset, in ipsa terra natali invenit letum, ab aemulo invido et sua ipsius uxore sibi paratum. Quanto magis laudanda fuit sors regis Ithacae, qui per multos sane annos post Troiam captam patria caruit, sed cum tandem aliquando illuc rediisset et multa — ut Agamemnon — domi mutata comperisset, uxorem certe invenit eundem quem olim animum erga se servantem, mox profligatis adversariis ceteram vitam beatam et tranquillam cum ea transegit usque ad obitum serum et lenem [1]. Cum Agamemnon tum Ulixes absens bonis est exutus; at ille, qui hostium urbe vastata victor rediit cum exercitu, ab uno inimico huiusque satellitibus in insidiis est oppressus: hic, qui cunctis navibus et militibus amissis post errores diuturnos vix tandem solus et navi aliena in patriam est reductus, adversarios plus centum callido dolo circumventos interemit [2].

Reditum Ulixis poeta noster cecinit; quem reditum prius paravit, dein celebravit. Singulas partes carminis in honorem *τοῦ πολυτρόπου ἀνδρόσ* compositi in hunc finem vergere fecit, *πολυτροπώτατοσ αὐτὸσ ὤν*. *Reditum* autem — quorsum? In patriam videlicet, ad suos, praesertim ad fidelem *uxorem*, quae mariti in regionibus

[1] Cf. λ 134—137.

[2] Agamemnonis caedes compluribus Odysseae locis commemoratur et sorti Ulixis opponitur; cf. praesertim α 29 sqq. γ 232 sqq. λ 444.

remotissimis degentis nunquam est oblita. *Reditum Ulixis ad Penelopen* cum dicimus carminis argumentum, vel potius *herois sagittarii ad uxorem texendi peritissimam,* propriis nominibus omissis et epithetis e prisca poesi desumtis coniuges ornantes [1], *reditum* autem intellegentes non *iter* herois redeuntis, sed eum temporis articulum quo iuncti sunt denuo qui sorte immiti diu separati fuissent coniuges, id quod poeta voluit verbis includimus [2].

Diu autem heroem oberrasse antiquiora illa carmina ferebant, unde sui carminis materiem duxit noster poeta. Non dicimus nunc opera priscorum illorum vatum, qui *Solem* olim cecinerunt initium cursus annui cum uxore *Luna* facientem primo post brumam novilunio [3]; nam mythi huius solaris licet vestigia plu-

---

[1]) *Telam Penelopes,* ut *arcum Ulixis*, e mythis antiquissimis esse desumtam cum alia testantur tum verba poetae nostri de *Circe,* quae

μέγαν ἱστὸν ἐποιχομένη λίγ᾽ ἄειδε (*κ* 254)

et de *Calypso,* quae

ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ᾽ ὕφαινε (*ε* 62).

Quid quod ipsum *Circae* sive *Cercae* nomen *Textricem* significare videtur, cum verbo *κρέκειν* et vocibus *κερκίσ, κροκή* cohaerens (sic Schrader).

[2]) Ita cum vocem *νόστον* interpretamur, ipsum poetam sequimur: Ulixes per decennium circumvagatus est et apud Calypso denique delituit, iamque caelites initio carminis (*α* 87) decernunt

νόστον Ὀδυσσῆοσ ταλασίφρονοσ, ὥσ κε νέηται.

In eandem sententiam disputarunt vWilamowitz et Müllenhoff; cf. etiam Seeck Quellen d. Od. 66. Aliter vero vocem *νόστον* multi philologi usurparunt; e quorum numero honoris causa nominatim nunc indicatus esto Kirchhoff. Hic enim priorem partem Odysseae (*α*—*ν* 184) sive ea quae *νόστον* quem nos dicimus antecesserunt „priscum Ulixis Reditum" vocavit, alteram (*ν* 185—*ω*) a poeta recentiore subiunctam, utramque autem additamentis postmodo interpolatam ratus. Item e. g. Ed. Meyer Herm. 1895, 253: „die Irrfahrt macht das eigentliche Wesen des Odysseusmythus aus", E. Drerup Homer, 1904, 131: „Grundlage der Odysseusepopöe ist eine Schiffersage."

[3]) *Nomen* quodnam marito, quodnam uxori in vetusto illo mytho inditum fuerit nescimus. *Penelopes* nomen si recte refertur ad *πήνην* sive *πῆνοσ* *telam* et *πηνίον* *subtemen,* inde ab initio id huic mytho proprium fuisse satis certum videtur; sed obscura sic manet nominis pars posterior, prior autem pars etiam a *Pane* Arcadum deo potest repeti, quem filium Penelopes, deae in Peloponneso cultae, posteriores certe fecerunt (cf. Herodot. II 145, Pindarus apud Serv. ad Verg. Georg. I 16, Apollodor. Epit., al.), alia autem Penelopes nomina „vetustiora" undecunque ducta *Arneam* sive *Arnaciam* et *Amiracen* olim protulit Didymus (cf. schol. Pind. Ol. IX 85 schol. *δ* 797 Eust. 1422, 7 sqq. Tzetz. ad Lycophr. 772). Ab *anatis* (*πηνέλοποσ*) nomine non multi, ut opinor, Penelopes nomen sunt ducturi cum ipso Didymo, licet Altenburg (cf. Roscher Lex. Myth. III 1911) et Gruppe (Myth. 619,1) ei fuerint assensi. — In *Ulixis* autem nomen duo nomina confluxisse, quorum alterum alteri sono esset subsimile, ut suspicemur ipsa huius nominis forma varia et instabilis *Ὀδυ(σ)σεύσ*— *Ὀλυσσεύσ* — *Ὀλλυτεύσ* — *Ὀλισσεύσ* — *Ulixes* cogere nos videtur. Nam primae syllabae

rima in Odyssea deprehendantur aperta et minime contemnenda [1]), ab ipsa tamen Odyssea et a poetae consiliis talia sunt aliena, nec non aliena fuerunt a carmine unde sua ille duxit; nam in hoc quoque celebratus fuit *heros mortalis*, *Troiae victor*, non *deus* procul ab hominibus degens. „Vitae humanae speculum est Odyssea'' [2]).

In huius igitur herois patria multa mutari necesse fuit per tempora belli diuturni — nam diuturnum fuisse bellum Troianum iam credebatur [3]) — et errorum longinquorum. Et filius Ulixi erat, uxorem enim heros prius duxit quam in bellum est profectus: de illo igitur puero quid interim factum? Uxor autem quomodo vitam solitariam transegit? Qualem rerum statum rex Ithacae invenit domi, cum tandem ad suos rediit?

Has et cognatas quaestiones quin poetae moveret argumentum, quod elaborandum sibi elegisset, fieri non potuit. Et fabulae vetustae, unde sua ducebat, ei partim certe praebebant quae responderet: uxorem herois absentis a procis compluribus in matrimonium esse petitam, illum cum rediisset sagittis eos peremisse.

Uberrima sic affluebat materies. Procorum impudentia reginam et ipsum cum ea regnum appetentium erat pingenda. Unus autem multis oppositus heros qui poterat vincere, nisi caute et per dolum eos aggrederetur, vaferrimo ingenio usus, *πολύμητισ πολύφρων πολύτροποσ πολυμήχανοσ*? Non palam igitur ex itinere diuturno redibit Ulixes, ut miser ille Agamemnon, qui Troia eversa in patriam redux leto inglorio est datus ab uxoris moecho, sed clam et omnibus ignotus, specie sumta minime regali, mendicus pannis squa-

forma duplex vel triplex Ὀδ- Ὀλ- *Ul-* ut possit conferri cum graecolatinis ὀδωδέναι — *olere*, δαϝήρ — *levir*, δάκρυ — *lacrima*, at etiam secunda nominis syllaba duplicem stirpis formam *-υσ-* et *-υκ-* (*-ic-*) ostendit. *Deum infensum* et *deum solarem Lyctium* — numen Arcadicum cum Cretensi — coniunctos fuisse suspicor, Ὀδυσσῆα et Λύκτιόν τινα. Sed aliorsum fortasse ducit nomen *Autolyci*, qui Ulixis fuit avus; sic enim ad λύκον potius Apollini sacrum et ad ipsum Apollinem λύκειον pervenimus, recordamur autem Apollinis irati illius, ad quem Chryses „τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν'' est precatus, quae etiam a Penelope ad Ulixem dici potuissent verba. Quicquid id est, hac de re disputantibus non est neglegenda vis verbi ὀδύσσασθαι, quod solorum *deorum* est in lingua epica, excepto uno illo Odysseae loco, ubi Ulixis nomen inde repetitur (τ 407—409).

[1]) De his cf. praesertim vWilamowitz Hom. Unters. 112 sqq. Seeck Quellen d. Od. 267 sqq. Roscher Selene 140—143.

[2]) Sic Alcidamas apud Arist. Rhet. III 3 § 4.

[3]) Cf. quae hac de re disputavimus pag. 23 sq., 30 sq., 33.

lidis vix satis tectus, qui metum vel suspicionem nulli possit movere. Cuncta sic explorare prius poterit quam uxoris procos in ipsius aedibus petulanter se gerentes adoriatur. Filii autem, per annos viginti quos pater afuit adulti, quae erunt partes? Huic quoque quae agat a poeta dabuntur, ut tali patre dignissimum se possit praestare.

Sed et errores, qui per annos complures protracti tantarum aerumnarum causa cum ipsi heroi fuerunt, tum eius uxori, maritum desideratissimum domi oppertae, largam narrandi materiem poetae praebuerunt. Quam sperneretne, ne longius ab argumento quod tractabat abriperetur cavens? Neque hoc voluit neque vero res magno spatio temporis atque locorum inter se disiunctas et nexu causali vix satis cohaerentes ita enarrando persequi ut in carminum aliquam seriem materies dilaberetur potius quam unum carmen bene compactum bene rotundum inde evaderet. Itaque artificio usus felicissimo quaecunque heros ante reditum expertus est e tempore praeterlapso in ipsum illius reditus tempus veluti transtulit, ab heroe ea enarrari fingendo. Etiam aliorum heroum reditum in patriam et ceteram sortem referendi, partim etiam ipsis auditoribus ostendendi occasionem ei praebuit iter Telemachi, quem finxit iisdem diebus, quibus ipse Ulixes Calypsus insulam post longam captivitatem reliquit, a dis in Peloponnesum esse missum ad Nestorem et Menelaum de patris fato interrogandos [1]).

Sic *νόστον Ὀδυσσῆοσ ταλασίφρονοσ* inde a primo carminis versu usque ad ultimum poeta Odysseae canens permulta tamen, quae cum reditu illo aut laxius aut prorsus non cohaererent, narrationi inserere potuit. Qua facultate liberrime est usus, nihilo festinantius quam poeta Iliadis ad eventum tendens, sed identidem, ut ille, rerum quas referebat decursum sistens, ut fertili ingenio exornaret aliquod episodium, quod potuisset omittere, si ad finem propositum quam celerrime pervenire voluisset. Narravit quaecunque narrare habuit, quippe qui sciret singula grata fore aurem praebentibus, dummodo venuste narrarentur.

Aptum specimen huius artis, ut firmo sic lento gressu proce-

---

[1]) Verum Minervae Telemachum illuc mittentis consilium, ut vir e puero fieret Ulixis filius, claris verbis indicatur *ν* 412—423.

dentis et quoties lubeat in itinere subsistentis, praebet carminis pars postrema. Pervenit Ulixes in suam regiam, uni Telemacho notus, quem iussit celare quis esset; ceteris est senex mendicus, cui olim melius fuerit. Iamque in ipsum megarum admissus sera vespera solus soli reginae, maritum absentem numquam non lugenti, exadversus sedet prope focum, loco honorifico. Etiamne perget uxorem suam fallere? Poteritne, etiamsi velit? Ad hospitem egenum priusquam cubitum eat lavandum Penelope iubet afferri pelluvium, ipse autem Ulixes ut anus aliqua sibi ministret petit, a iunioribus enim ancillis, quas erga senem squalidum malevolas modo expertus est, lavari non vult. Ecce autem accedit ea ipsa quam sperabat, nutrix eius grandaeva Euryclea, — — et nunc demum heros recordatur vulneris olim in femore accepti, cuius hactenus fuit immemor, tot annis interlapsis videlicet et animo adeo iam commoto. Huius igitur vulneris cicatricem ut Eurycleam celet, e foci lumine recedit; attamen statim illa, ut crura ei nudavit, signum olim sibi notissimum adspicit et adspectum agnoscit... Nunc igitur quid fiet? Anxii expectamus an futurum sit ut heros intempestive sic a nutrice agnitus, propterea quod per temporis articulum brevissimum eum defecerit cauta illa sollertia, qua unus omnium inter mortales maxime excellat, etiam ab uxore ceterisque iam agnoscatur? Consiliumne igitur quod cepit sit mutaturus, procos autem quomodo superaturus? Cuncta denique quorsum sint evasura? Et ipsa verba, quibus poeta hanc narrationis partem inclusit, exquisita arte electa ad animum audientibus commovendum multum valent; nam Penelope cum anum sic alloquitur: „*quin igitur, Euryclea, lava domini tui* ...", per temporis spatium exiguum mente supplemus „*pedes*", statim tamen ipsi nos reprehensuri, qui nihil eiusmodi a Penelope dici potuisse fuerimus obliti; et addit illa „*aequalem*". Nutrix autem alumnum suum desideratissimum („τέκνον"), cuius imago post Penelopes verba solito etiam vividior eius menti obversatur, tanquam praesentem etiam prius alloquitur quam intellexit ipsum Ulixem se adspicere in patriam reversum.

Intentissimo igitur animo ex ore poetae sublegimus verba proxime sequentia: — ille vero quid? Nunc quoque interrupto narrationis decursu, lectoribus hodiernis fortasse minus probantibus,

sed maxima cum voluptate eorum, qui aurem olim praebuerunt canenti, veluti otiosus subsistit, ut vulnus illud quando et quomodo Ulixes acceperit... paucisne verbis indicet? Immo ut fuse et tam venuste quam cetera omnia enarret.

Sic igitur poeta iuvenile quoddam herois facinus carmini, quo virum maturum celebrabat, occasione oblata aptissime inseruit, ab Aristotele ob componendi eam artem merito laudatus [1]. Similibus autem artificiis effecit ut reditum Nestoris, Menelai, Agamemnonis et alia multa, praesertim ipsius Ulixis varios errores enarrare posset, ne semel quidem transgressus orbem illum sive temporis sive locorum, intra quem carminis quod pangebat argumentum contineri iubebat ars poetica.

Multa autem sua fecit e carminibus ipso antiquioribus desumta, utque inter se congruerent quae inde desumsisset plurimam dedit operam. Hac tamen a parte res ei, ut poetae Iliadis, minus feliciter cessit quam in suis ipsius inventis elaborandis. Efficere enim non potuit ut concinerent quae alia alibi alioque tempore primitus cantata sonos discrepantes praeberent cum inter se coniungerentur. Exploremus singula.

Regibus qui Troiam vastarunt *Iovem* inimicum fuisse ferebant fabulae priscae, neque nos fugit huius irae causa; nam deum Idaeum, qui urbem suam ab Achivis tutari aliquantisper frustra est conatus, hos tum, cum victores fuerunt, nihilo leniore odio persecutum esse quam ante urbem vastatam, fert ratio. Sed illum deum Achivis infestum neque Iliadis poeta agnoscere potuit [2], neque post eum potuit poeta Odysseae. Itaque hic cum Ulixis errores enarraret, certam aliquam causam indicandam putavit, ob quam in Ulixem patriam repetentem saeviisset Iuppiter: causam autem probabilem praebuerunt boves Solis ab herois comitibus caesi. Quemadmodum poeta Iliadis finxit Iovem a Thetide permotum Achivis aliquantisper adversatum esse, sic noster poeta Iovem a Sole permotum sontibus poenam immisisse finxit. Quam fabulam cum prisco mytho solari cohaerentem — nam solis armenta, quorum etiam in fabula quae fuit de Augia fit mentio, primitus

---

[1]) Cf. infra cap. III. [2]) Cf. p. 42.

per caeli templa, non in insula terrestri sunt pasta, et inter *nubes* eorum insula, ut insula Aeoli ventorum arbitri, quaerenda fuit, — primusne ipse inter Ulixis errores receperit an, quod veri videtur similius, ab aliis illuc invenerit receptam, pro certo non iam potest effici.

Cur vero etiam ante sacros illos boves mactatos Iuppiter Ulixi ceterisque heroibus *λυγρὸν ἐνὶ φρεσὶ 'μήδετο νόστον, ἐπεὶ Πριάμοιο πόλιν διέπερσαν* [1])? Cur Minerva iis fuit infensa? Ad has quaestiones ut posset responderi, novas causas fingi necesse fuit.

Sed et *Neptunum* Ulixi adversatum praebebant carmina vetusta. Quemnam autem — vel potius, qualem — Neptunum? Non eum quem Odysseae poeta — ut poeta Iliadis — solum habuit cognitum, *maris deum* caelibem [2]), tridente fluctus excitantem, sed deum terrestrem vel subterraneum, *Terrae Matris maritum* [3]). Et duas huius odii causas, quarum altera alteri erat dissimillima, praebuerunt priscae fabulae. Nam Neptunus is, qui Troiae olim moenia struxit, a deo Idaeo vix seiungendus [4]), ut non minus quam ipse Iuppiter Idaeus succenseret Achivis, praesertim autem illi heroi, qui callido dolo effecisset ut urbs caperetur, res tulit. Sed is quoque Neptunus *γαιήϝοχοσ*, qui in Peloponneso per multas etiam hominum aetates post natam Odysseam est cultus, Ulixi inimicus necessario fuit primitus, non ei tamen Ulixi, qui *Troiam* vastavit, sed heroi — an deus lucifer nunc vocandus est potius, quoniam in ipsis harum fabularum primordiis iam versamur? — qui cum *monstris* antra inhospitalia et tenebras occidentales incolentibus pugnavit, a nullo superatus. Ipsum Cyclopem, Neptuni filium, Phorcynis — qui alter quidam Neptunus infernus fuit olim — nepotem, hic heros mutilavit: certum igitur exinde ei stetit Neptuni dei inferni odium.

Ecce igitur dei quatuor — vel, si quis mavult, duo — Ulixi

---

[1]) Cf. γ 131 sq., 152, 160, 288 ι 38 al.

[2]) Aut si quis mavult, maritum Amphitrites. Sic Pindarus (Ol. VI 104) alii.

[3]) Id quod ipsum dei nomen *Ποσει-δάων* significat; cf. Mnem. 1906 p. 304 (item dein Kretschmer Glott. I 28). Praeiverat vWilamowitz „Gatte der Erdmutter" hunc deum vocando (Festrede vom 25 Jan. 1906, Sitzungsber. d. k. p. Ak. d. W. p. 67).

[4]) Cf. praesertim genealogia regum Troianorum Υ 215—241. Nam Erichthonius *Trois* pater idem est qui *Ποσειδάων ἐνοσίχθων*, et nomine magis quam ipsa re olim a *Dardani* patre Iove (Idaeo) fuit discretus.

infesti: *Iuppiter Troianus* ob urbem captam, *Iuppiter Achivus* ob caesa Solis armenta, *Neptunus Troianus* ob urbem captam, *Neptunus Achivus* ob Polyphemum occaecatum. Quas fabulas poeta Odysseae ita inter se coniunxit ut Iovem patrem cum post captam Troiam [1]) tum post caesa Solis armenta [2]), Neptunum autem propter Cyclopem occaecatum [3]) — sed annis aliquot intermissis — in heroem saeviisse fingeret. Sic autem effecit ut heros ille, qui cum navibus duodecim in bellum esset profectus, post varios casus *ὀλέσασ ἄπο πάντασ ἑταίρουσ* in patriam tandem talis rediret qualem olim illuc reduxerat fabula antiquissima, cui *Sol* erat Ulixes, non miles mortalis Troiae victor, — *solus* igitur, non *littore Troiano* relicto sed *antro Calypsus* sive ipsius caliginis deae.

Et uberem materiem priscus ille mythus solaris praebuit nostro poetae, vel potius poetis antiquioribus, e quorum carminibus noster sua duxit. Sol per caliginem nocturnam ex occidentali caeli parte per septentrionalem in orientalem rediens cum itineris, quo heros per Lotophagorum [4]) Cyclopum Laestrygonum regiones inhospitales usque ad Circes insulam vectus est, argumentum praebuit, tum itineris quo e sedibus mortuorum in ultimi occidentis tenebris latitantium ad Circen rediit. Quae itinera ut in

---

[1]) Cf. ι 38, 67 sqq. [2]) Cf. μ 405 sqq. [3]) Cf. ε 282 sqq.

[4]) De Lotophagorum fabula disputantibus conferenda sunt quae de *hortis Hesperidum* et quae de *insulis beatorum* veteres narrarunt; pingitur enim gens fabulosa cibo fabuloso usa. Id quoque quam maxime huc pertinet quod in fabula, quae est de raptu Proserpinae, traditum accepimus, virginem illam, cum mali punici partem *a rege mortuorum sibi praebitam* comedisset, ad vivos redire non potuisse (h. Cer. 372). Nam *a Lotophagis — ut a Sirenibus — non redire*, id est *apud mortuos manere*; Oceano, non Nilo proximam regionem Lotophagorum cogitarunt poetae quos is qui Odysseam fecit secutus est, et ipse cogitasse videtur. Optime autem concinit quod paucioribus quam vellemus verbis traditum accepimus apud Stephanum Byzantium (s. v. *Γέρμαρα*), Lotophagos per alteram anni partem somno indulsisse (id quod de gente ad septentrionem habitanti rettulit Herodotus IV 25); nam similis est sors *Proserpinae* per tertiam anni partem in Ditis aedibus latitantis (h. Cer. 446 sq.). Etiam *Cimmeriorum* mentionem nunc fieri oportet, et faciunt huc quae de *Circes* venenis magicis narrantur. Quod autem *ἄνθινον εἶδαρ ἔδειν* sive *florum suco vesci* Lotophagi dicuntur, *ut apes*, quis non recordatur *τοῦ λειμῶνοσ*, per quem *αἱ ψυχαί* volitare dicuntur (cf. λ 539 μ 45 al.), et ipsius vocis *ψυχῆσ papiliones* postea certe significantis, ita ut *bestiolae floribus vescentes* et *umbrae defunctorum* eodem nomine designatae fuerint. Denique recordemur nunc oportet artae necessitudinis quae fuit inter notiones *mellis* et *ambrosiae*. Quae cum ita sint, nihil obstare videtur quominus poetae, qui Lotophagos cecinerunt, herbam illam vulgarem cogitaverint, cuius mentio fit δ 603 alibi, fragrantissimam et apibus dilectam.

Odysseam recipi possent ambo, poeta noster finxit heroem *bis* ad Circes insulam pervenisse. Haud sane admodum probabiliter; nam Circe dea, quae ventum secundum, perinde atque Calypso, ei praebuit, poterat etiam in patriam eum mittere actutum, si vellet, neque necessarium fuit eum prius in sedes umbrarum proficisci, ubi disceret quomodo domum redire et Neptunum exorare posset. Et aliquam quidem probabilitatis speciem narratis poeta addidit vaticinio Tiresiae inserto, quod vaticinium Circae ignotum fuisse fingere ei licebat, sed posteriorem herois vitam id spectat et de felici huius vitae exitu certiores nos facit, non supervacuum quidem, alienum tamen ab orbe rerum in ipsa Odyssea tractatarum, ita ut acrius intuentibus luculenter appareat poetam diversa in unum coegisse.

Sed et tertium Ulixis iter praebuit mythus solaris. Nam sol caligine relicta sedes lucis recuperans factus est heros, quem alto somno sopitum et veluti mortuum Phaeaces sive Furvi mortuorum portitores noctu reduxerunt in patriam. Poeta cum Ulixem exhibet ex antro Phorcynis emergentem, ubi a Phaeacibus collocatum eum narravit, in novam formam effingit — aut ab aliis effictam refert — materiem, qua tum quoque est usus cum ex antro Cyclopis et ex antro Calypsus redeuntem eum ostendit, ut de aliis fabulis, quae item huius sunt argumenti, nunc taceamus; nam solem terris redditum haec omnia significarunt primitus, sive quotidianus solis ortus cogitabatur, sive sol novi anni initio post torporem brumalem veluti reviviscens.

Quartum denique et quintum Ulixis itinera hic mythus praebuit. Nam sol deus postquam abiit in heroem Achivum, aut *in patriam suam rediisse* hic heros poterat dici, sic autem non in oriente sed in ipsorum Achivorum regione illa patria erat quaerenda, nata igitur est fabula, quam poeta Odysseae celebravit, de rege Ithacae capta Troia ad Penelopen reverso; — aut, neglecta notione *patriae*, servata vero quam mythus solaris praebebat notione *orientis*, heros fiebat iuvenis longinquas regiones appetens, ubi famam opes amorem inveniret. Huiuscemodi fabulae fuerunt de Iasone et de Achille, et similis aliquando fabula facta est de Ulixe, cuius echo quaedam, saepius quidem fracta et repercussa, talis tamen ut ipsa vox in imagine etiam agnoscatur, ibi per-

cipitur ubi commemoratur *Persepolis* filius *Telemachi* e *Nausicaa* natus; nam collatis quae alibi de *Ulixis* e *Penelope* filio *Ptoliportho* sunt tradita [1], apparet „Telemachum" sive „*eminus* (non: *in regione longinqua*) *pugnantem*", ut „Ptoliporthum" sive „Persepolin", i. e. „*Troiae expugnatorem*", ipsius herois epitheton fuisse primitus: heroem suum ipsius filium et nepotem — ut ita loquamur — in fabulis sensim esse factum; *ὁ μὲν πολύτλασ τὸν τηλέμαχον ἐγέννησεν, οὗτοσ δὲ τὸν πτολίπορθον ἢ περσέπολιν.*

Odysseae autem poeta suos in usus etiam hanc, quam diximus, de Ulixe orientem adeunti fabulam convertere voluit. At quomodo poterat? Quomodo coniungere et inter se conciliare diversissima? Quomodo heroem, quem in patriam et ad uxorem reversum celebrabat, etiam patria relicta in longinquo oriente uxorem invenisse poterat perhibere?

Ita enuntiata haec adeo inter se discrepant ut ridiculus videatur qui in unum carmen coniungere ea velit. Et tamen iunxit poeta noster. Quod autem iunxit, non potest non improbare qui totius carminis structuram mente complectitur; eam vero carminis partem solam considerantibus, quam peperit carmen antiquius de heroe in regione longinqua matrimonium ineunti compositum, maxima laude dignus et prorsus admirabilis videtur poeta, qui fabulam tam venustam tanta arte enarraverit et pro re mutatam carmini suo tam concinne adaptarit ut non nimis acriter intuentibus ex ipso huius carminis argumento prognata videri posset. Felici huic audaciae poetae incongrua componentis, orientem occidenti, vivos mortuis commiscentis et ipsum temporis decursum veluti retroflectentis, — iuvenem enim e viro maturiore heroem ante nostros oculos videmus fieri, — debemus Alcinoi aedes splendore orientali coruscas, debemus Phaeacum ex umbrarum tristibus portitoribus in Scheriae incolas beatissimos mutatorum epulas et ludos, debemus Nausicaam illam, quam quis non didicit diligere, quis non per totam vitam recordatus est, cui contigisset cognoscere suavissimum illud Odysseae episodium, quod est de Ulixe in Scheriae insulae littore virgini regiae obviam facto. Placuit id nobis pueris, placet adultis, et plurimis olim placuit hominum

[1]) Cf. pag. 61, 1.

aetatibus, tempori autem iudici omnium longe incorruptissimo probatum a nobis sero natis lectoribus etiam laudari minime est opus. Ut tamen prorsus placere possit, qualem exitum sit habiturum non rogemus necesse est, sed contextu neglecto ita legamus ut Iliadis eas partes, quae habent Glauci cum Diomede colloquium vel certamen Aiacis cum Hectore. Nam puellae formosissimae imago postquam tam splendidis coloribus ad vitam est depicta ut ante ipsos oculos versari nobis videatur, postquam vidimus ludentem et audivimus lepide atque ingenue multa cum parentibus, cum sodalibus, cum ipso heroe confabulatam, ad carminis cursum promovendum haec regum dis carorum filia decora nihil habet quod agat nisi . . . ut heroi naufrago praebeat vestimentorum olei cibi aliquid et ad patris aedes viam indicet, quam primus quisque puerulus ei monstraturus erat et revera mox monstravit dea Minerva. Haec etiam sine virginis regiae ope alumnum suum ad Alcinoi urbem deducere poterat et vires interim ei sustentare, — si poetae id libuisset. Ne iumenta quidem Nausicaae Ulixi quicquam profuerunt, non enim plostro vectus est in urbem, sed pedibus illuc iter fecit. *Inutilis* igitur in Odyssea est Nausicaa; poetae non profuit puella, quamvis pulcra et amabilis, carmen ad eventum deducenti, nedum necessaria ei fuerit

— „Iniqua haec: poeta sic extollere voluit herois constantiam, „qui cum regis ditissimi ipsisque dis cognati filiam formosissi- „mam in matrimonium posset accipere, patriam et uxorem repe- „tere maluerit.“

Aliquid sane dicit qui sic loquitur, et cum heroem occulis Nausicaae intuiti „caelitibus similem“ vocamus, beatam simul praedicamus Penelopen illam, ad quam talis maritus mox sit rediturus. Cum tamen reputamus a deabus Circe et Calypso eundem esse amatum, anticlimacem potius efficere videntur Nausicaae et Alcinoi verba hospitem laudibus extollentium, neque admodum magnum videntur spretae nuptiae opesque regales, postquam Calypsus amorem et ipsam immortalitatem heros sprevit ut ad Penelopen posset reverti [1]). Haec igitur causa poetam non potuit permovere ut Nausicaam in carmen suum reciperet.

[1]) Cf. ε 206—220.

Si vero nullo alio consilio illuc eam recepisset nisi ut Ulixes eius ope in aedes Alcinoi introduceretur, paucioribus verbis usus haec sola cecinisset: „Ulixi in sinu placido e mari egresso oc„currit puella, quae fontem vicinum adibat, unde cives aquam pete„bant; erat haec regis filia, quae interrogata quis in illa regione „regnaret patris aedes ei significavit. Has cum heros intrasset, „invenit reginam, quae maritum suum advocavit." Sic ipse Ulixes [1]) narravit quomodo filia regis obviam sit facta — non ipsi quidem, sed eius legatis, neque in insula Phaeacum, sed in gigantum ferorum illa regione, ubi Phaeaces antea vixissent [2]). Antiphates, non Alcinous, regi iam est nomen, et aliter illic atque Scheriae heros est acceptus: solum tamen caput rei si spectamus, simillimum utraque narratio habet initium.

At solvamus contextum, ex Odyssea episodium quod est de Nausicaa eximamus, et fingamus nos nescire quis sit heros ille, qui alto somno sopitus inter virgulta littoralia iaceat quaeve sors eum maneat: — quam venusta, quam lepida fiunt subito quaecunque modo videbantur supervacua! Quanta singulis verbis iam accedit vis!

,,Dormiebat virgo" — sic poeta post breve silentium denuo infit — „in regia patris Alcinoi." Dein virginis huius stirpem et ipsius gentis originem fuse exponit [3]). Expectamus rerum mox enarrandarum magnam partem fore puellam, in cuius origine celebranda poeta tam multus sit.

Minerva dea adit lectum puellae in aedium paternarum penetralibus dormientis et specie sumta mortali „surge" ait „Nau„sicaa: littus pete ad vestimenta lavanda; non enim procul etiam „abest dies tuarum nuptiarum" [4]). Sunt autem plurima somnia vana, sed carminis materiem ea sola praebere possunt, quae ad carminis argumentum aliqua ratione pertineant; cetera a contextu arcenda sunt potius, ne inepta molitus poeta videatur. Sentimus igitur, nisi virgo a Minerva misere decipiatur, ut olim Agamem-

---

[1]) Cf. κ 87—115.

[2]) Cf. ζ 4—6 η 58—60.

[3]) Ad quam rem etiam rediit η l.l.

[4]) Sic etiam ad *Io* virginem regiam in somno dictum est: „surge et exi ex aedibus paternis: non diu etiam virgo manebis," — deus enim cum ea erat congressurus (Aesch. Prom. 645—654).

non a Iove est deceptus Troiae excidium ei per somnum promittenti, revera mox adfore qui Alcinoi filiam uxorem ducat.

In littus abitura Nausicaa plostrum a patre petit, sed causam fictam interserit, de somnio et de matrimonio tacens pudibunda; quod autem tacet, penitus in animum suum verba per somnum audita penetrasse innocenter testatur.

Iamque in maris oram pervenit et officiis domesticis perfuncta capite nudo prope fontem ludit cum ancillis, Dianae forma haud cedens, — et experrectus eam cernit heros. Emergit hic ex silvae umbra, ferae quam homini similior, capillis horridis et spuma obsitus marina, multis etiam foliis aridis adhaerentibus e strue, qua a frigore nocturno se protexit. Adit virginem et deamne an mulierem mortalem videat ambigens: „si mortalis es,'' exclamat, „bis terque beatus est is qui uxorem te sit ducturus, tibi autem „utinam obtingat vir te dignus!''

Diffugiunt ministrae, adspectu insolito perterritae, nam non facile in beatam illam insulam pervenitur; at ipsa regis filia supplicem nihil reformidans comiter accipit, bono animo esse iubet, vestimenta et oleum ad corpus inunguendum ei praebet. Qui postquam sordibus purgatus et veste honesta indutus ad eam rediit, talis ei apparet qualem maritum mente sibi fingere vix unquam fuit ausa. Deus iam ei videtur, non homo: e naufrago squalido et aerumnis fracto veluti miraculo aliquo factus est iuvenis decorus, cui flava coma inaurat tempora [1], — ut Iasoni [2] vei Theseo [3] vel Achilli [4], — fulgent oculi, florida est facies, brachia valida, latum pectus. Tum pari admiratione virgo abrepta „o talis vir utinam in matrimonium me sit petiturus!'' exclamat [5], secum collocuta et solis ancillis audientibus.

---

[1]) Cf. ζ 231 sq. et ι 399, 431. *Hyacinthum* igitur a poeta non *nigrum* sed *flavum* aliquem florem dici apparet. *Nigri* sunt capilli herois, quem cecinit poeta Odysseae (π 175 sq.), sed *flavos* ei tribuit Minerva quamdiu Scheriae est commoratus, et olim heroi iuveni tribuerat prisca fabula, quam poeta noster in suos usus convertit. Unde efficitur spurios esse ψ 158 et vicinos, quos versui 156 adiungi grammatica ne sinit quidem.

[2]) Cf. Pind. Pyth. IV 145 sq.

[3]) Cf. Bacchyl. XVIII 51.

[4]) Cf. *A* 197.

[5]) Etiam apertius apud Alcmanem fr. 23: „o Iuppiter, utinam *hic* mihi obtingat maritus!''

At puella casta et modesta quo magis admiratur virum, quem coniugem suum fore sperat et animo praesagit, eo anxius admirationem et amorem nascentem celans comitante illo in urbem redire non vult: „virginem non decet insciis parentibus cum viris „prius versari quam in matrimonium palam petatur." Senem decrepitum plostro devectura erat, iuvenem robustum aliquantisper expectare iubet, donec ipsa abierit, dein peditem urbem adire, ne forte cives citius aequo veri quid suspicati verbis malignis ambos carpere possint: „undenam istum advenam Nausicaa petivit? „Procumne e littore sibi sublegit? Nostrine igitur iuvenes ei sor„dent omnes?" — Iuvenis hic, qui casu felici vel ipso numine duce Scheriam delatus est, Nausicaae parentes prius adeat oportet quam coram civibus cum ipsa confabuletur, ut rite et decore fiant omnia.

Pervenit heros quo fata vocabant et a regina ipsoque rege benevolentissime acceptus sedet in regiae megaro prope focum, hospes honoratus: „utinam gener meus fieri velis! Libentissime „tibi filiam meam uxorem tribuam" ait Alcinous.

Quorsum tendunt haec omnia? Nonne eo quo ipsa natura tendere iussit iuvenes floridos et puellas formosas, — in amorem et matrimonium? [1]). Ipsa dea in unum locum deduxit iuvenem cui favet et virginem quam ei destinavit coniugem. Alteri Iasoni altera Medea obviam est facta [2]) et coram marito futuro capitis velamentum posuit; perplacet iuveni, ille virgini et huius parentibus: proximas expectamus nuptias laetosque hymenaeos. Quae nuptiae etiamnunc nobis veluti eminus ostentantur, cum Ulixes Nausithoum quendam — nomen Phaeacium — genuisse fertur, vel cum Nau-

---

[1]) Ante me hoc dixit Müllenhoff, cuius verba cum referret Seeck Quellen d. Od. 302, negavit extitisse umquam fabulam in qua Nausicaa obtineret locum Calypsus vel Circes. Et optimo sane iure id negavit, veri tamen non nisi alteram partem indicans; non enim *Calypsus* vel *Circes*, sed *Penelopes* locum Nausicaa olim obtinuisse dicenda est, vel potius: carmini quod Penelopen nullam nosset primitus fuisse propria. Cuius mythi vetusti echo quaedam quamvis tenuis percipitur η 225, ubi Ulixem „sola bona et ministros" desiderantem ita post alios carpsit Kirchhoff: „meinem Gefühle nach „würde er richtiger... an Weib und Kind gedacht haben", — non sane immerito, nisi non maritum Penelopes et patrem Telemachi cogitamus, sed heroem iuvenem, cui nondum sit uxor.

[2]) In annotatione certe indicatus esto *aries*, quem item Odyssea cum Argonautarum fabula habet communem: aries Ulixem e caverna monstri hominibus infesti evexit in lucem, aries Phrixum tulit in lucis regionem orientalem, in regnum fratris Circes.

sicaae filius Persepolis et Ulixis filius Ptoliporthus commemorantur: varie videlicet inter se iuncta sunt nomina quae prisci mythi praebebant propria [1]). Praeterea solis nominibus discrepat fabula quae fuit de Ulixe in *Thesprotia Callidicen* puellam regiam uxorem ducenti et *Euryalum* — item nomen Phaeacium! — ex ea gignenti [2]); clara denique luce iam illustratur fabula parallela, — non enim de Ulixe sed de Iasone narratur, — qua usus Apollonius Rhodius heroem, qui orientem longinquum petivisset, *nuptias* cum Medea solis nepte *apud Alcinoum et Areten* inire fecit [3]).

Sed Odysseae poeta puellam, cuius imaginem cura sollicita et velut ipse amore correptus exornavit, heroi suo uxorem dare non potuit, quippe cui uxor esset iamdudum, ad quam mox ipse eum reducturus esset. Itaque ab Alcinoo haec verba addi fecit: „si tamen ad tuos redire mavis, per me id licet", dein reditum ei parari. Quae autem proximo die Alcinous instituit certamina iuvenum, in prisca quidem fabula fuerunt utilissima et vere necessaria, cunctis enim aemulis superatis heros peregrinus dignum se praestitit qui regis fieret gener [4]), non *sagittandi* quidem specimine edito, quale fuit illud quo Ulixes noster Penelopen denuo suam fecit, sed *disco* viribus maioribus quam sunt mortalium iacto, eo igitur *Solis dei* telo usus, quo interemtus olim est *Hyacinthus*. Dein institutae sunt epulae opulentae, et cantore accinente nuptiae rite celebratae sunt laeta saltatione [5]). Sed a nostro poeta immutari haec omnia — quoniam omittere noluit — necesse fuit. Finxit igitur certamina non ad explorandam hospitis virtutem sed

---

[1]) Cf. Hes. Theog. in fine et fr. 17, Suid. s. v. *Ἀνδοκίδησ*, Aristoteles apud Eust. 1796, 39 sqq.

[2]) Cf. infra Euryalum quendam principem Scherium Ulixis aemulum ex Odyssea optime novimus.

[3]) Cf. Ap. Rh. IV 982—1167 et infra.

[4]) Huius rei indicium manifestum praebet Odyssea ϑ 22b sq.; qui versus in huius carminis contextu molesti sunt, certe miros nos habent, quoniam non „multis certaminibus" sed uno disci iactu Ulixes victurus est:

(Minerva Ulixem) *μακρότερον καὶ πάσσονα 'θῆκε ϝιδέσθαι,*
ὥσ κεν Φαιήκεσσι φίλοσ πάντεσσι γένοιτο
δϝεινόσ τ' αἰδοῖόσ τε καὶ ἐκτελέσειεν ἀέθλουσ
πολλούσ, τοὺσ Φαίηκεσ ἐπειρήσαντ' Ὀδυσῆοσ.

[5]) Miri igitur videri nequeunt *Phaeaces saltantes* et *Demodocus cantans* exculpti in throno *dei Amyclaei* (cf. Pausan. III 18 § 7), qui deus prope *sepulcrum Hyacinthi* pie colebatur. Nam in honorem nuptiarum a deo Amyclaeo initarum haec saltatio primitus fuit celebrata.

in eius honorem esse habita, cuiusmodi nihil aliud habent veterum carmina. Certamina habebantur in *funeribus* ad honorandum principem vita functum, etiam inter *procos* haud raro vel potius semper habebantur, nam aut opibus patri puellae optatae oblatis hi certabant, ut in ipsa vita, aut pedibus manibusque, ut in fabulis multis, et sic in ipsa Odyssea inter Penelopes procos *arcus certamen* est institutum, olim autem Ulixi, cum *cursu* vicisset, Penelopen virtutis praemium ab Icario in matrimonium esse datam prisca fama fuit [1]; sed *animi* tantum *causa* certamina inita a priscis moribus et a prisca arte fuerunt aliena [2]. Honor autem haud magnopere appetendus in Odyssea sic fit heroi, cui succenseant et maledicant competitores! [3] Etiam lautas epulas civibus ab Alcinoo sine iusta causa strui Odysseae poeta finxit, et hymnum Martis et Veneris non ad nuptias celebrandas sed ad delectandum tantum hospitem a Demodoco cantari, iuvenibus selectis interim saltationem artificiosam rite peragentibus, similem ei qua in aedibus Menelai celebratae sunt nuptiae eius liberorum [4], similem ei qua *ἱερὸσ γάμοσ* deae Ariadnae sive sanctissimae (*Ἐρι-άγνησ*) Cnosi olim celebratus fuit in orchestra splendide ornata [5]. Dein heros reliquit Nausicaam, ut Circen et Calypso reliquerat, et ad Penelopen suam rediit. Vana fuit „nuptiarum" illa vox in Scheriae littore et in ipsa Alcinoi regia identidem audita [6].

---

[1] Etiam labores difficillimi, qui Bellerophonti, Iasoni, Herculi, Theseo mandati sunt, nunc sunt commemorandi; nam *ἄεθλοι* et hi fuerunt, licet non ad puellam aliquam in matrimonium accipiendam inirentur.

[2] Non huc facere *Δ* 389, ubi non de hospite neque de ludis, sed de peregrino cives audacter in certamen provocante fit sermo (cf. *E* 807), id hic dici vix est opus.


[3] Cf. Euryali verba *ϑ* 158 sqq. — In prisca vero fabula nihil miri habuit Euryalus Ulixi succensens, quippe qui ante adventum huius hospitis nimis iam Alcinoo accepti sperasset et confisus fuisset sibi Nausicaam in matrimonium datum iri, *ϝῖσοσ* enim erat *Ἄρηϊ* et *ἄριστοσ ϝεῖδόσ τε δέμασ τε πάντων Φαιήκων* (vs. 115—117).

[4] Cf. *δ* 17—19.

[5] Cf. *Σ* 591 sq.

[6] Itaque eam opinionem, quam protulit Seeck (Quellen d. Od. 369): „priscum carmen, quod erat de *arcus* certamine, nihil habuisse de Ulixe regionem Phaeacum visenti, sed poetae qui heroem procos *hasta* adortum cecinerit hanc Odysseae partem deberi", ita mutatam nostram facimus, ut statuamus eum poetam, qui sagittario non solum arcum et sagittas sed etiam hastam et ensem et socios tribuit propterea, quod ad adversarios plus centum confodiendos pharetra herois mortalis non haberet tela satis multa (cf. *χ* 116—121), — *Odysseae poetam* dicimus, — in orbem carminis de Ulixis Reditu compositi etiam Nausicaam recepisse primum.

Carminis fontes qui dici solent inventu sunt difficillimi; verum autem fontem poesis nulla habet nisi in ipso ingenio poetae, et materie congesta aliter Musa poetam epicum uti iubet aliter historiarum scriptorem. Huic verum anquirere, repertum fideliter servare, ne fictis adulteretur sancte cavere maximum est studium et officium, quae testes locupletes praebuerint apte iunxisse, lucide exposuisse, gravi sermone enarrasse summa laus; poetis vero aliae artis leges sunt scriptae: non vera sed pulcra ab iis expectantur, neque quanta iis sit fides quaeritur sed quantum et quale ingenium. Itaque inepte agat qui de Iliadis vel de Odysseae fontibus simili ratione velit disputare atque de fontibus Thucydidis vel Diodori. Id quoque ineptum fere videtur, signis et litteris indicare velle quomodo e variis „fontibus" — ut nos quoque hoc vocabulo ambiguo et fallaci utamur — ducta fuerint quae poetae nostro praebuerint Odysseae argumentum et materiem. Fortasse tamen quae modo disputavimus quadamtenus poterunt illustrari diagrammate quod subiuncturi sumus; periculum certe videtur faciendum an fabularum aliquod stemma, quod non nimis sit absurdum, possit componi:



Ulixes cum Troia capta *Ithacam* reverteretur, tempestate procul e cursu quem tenebat eiectus in marium longinquorum oris visit *Lotophagos*, *Cyclopes*, *Laestrygones*, *Circen*. Ab hac iussus adiit *sedes mortuorum*; dein, postquam varia pericula vix vita salva effugit, solus et naufragus delatus est in insulam *Calypsus*. Inde post longum temporis spatium patriam repetiit rate vectus, qua procellae vi disiecta naufragus denuo excidit in littore *Scheriae* insulae orientalis, ubi a filia regis et huius parentibus benevolentissime est acceptus. Hinc a *Phaeacibus* in Ithacae cavernam *Phorcyni* sacram reductus mox procos *Penelopen* uxorem in matrimonium sibi poscentes sagittis interfecit.

A brevi hoc conspectu absunt nonnulla, quae laxius cum argumento cohaerentia a poeta sunt inserta. Omisimus igitur *iter Telemachi* et omnino de Telemacho patris adiutore tacuimus[1]), nec non de *Eumaeo*. Neque *Aeoli*, *Planctarum*, *Scyllae et Charybdis*, *Sirenum* nomina recepimus. Neque conati sumus lineamentis aliquibus indicare quomodo sit factum ut *Solis boves* necati esse dicerentur a comitibus herois, qui ipse pridem Sol fuisset[2]).

Ad *Circen* quod attinet, ea quam Odysseae poeta celebravit vivit in insula ortui Solis et Aurorae sedibus proxima, ipsius Solis filia. Aedes tamen, quam habitat in nemoris penetralibus, caverna primitus fuisse videtur, a Calypsus caverna nomine magis quam re distincta, in ultimo igitur occidente potius quaerenda, ita ut ipsa Circe Calypso altera vocari possit. Utraque fuit αὐδήεσσα sive *canora*, ἀοιδιάουσ' ὀπὶ καλῆι[3]), perinde atque *Sirenes* sive mortuorum numina; utriusque potestati — ut rerum varie enarratarum caput paucis verbis indicemus — Ulixem eripuit Mercurius ψυχοπομπόσ.

Similem molestiam habent nomina *Phaeacum* et *Scheriae*. Nam Phaeaces, mortuorum portitores, nisi in caligine occidentali vel septentrionali, ubi etiam Cyclopibus et Gigantibus et Laestrygonibus suus est locus, habitare non potuerunt; Scheriam autem insulam beatam poeta collocavit in orbis terrarum parte illa, laetae spei plena, unde lux et ipsa vita mortalibus venit quotidie: et tamen Phaeaces Scheriae habitare fecit! „E Gigantum et Cyclopum videlicet regione Scheriam eos migrasse" finxit[4]), audacter

---

[1]) Cauer Grundfr.² 475 statuit inter carmina vetusta, quae Odysseae poetae essent cognita, unum aliquod fuisse quo celebraretur vir post annos viginti, cum filius adolevisset, eo ipso die quo uxor novas nuptias initura esset ad eam reversus (cf. σ 267—271), illum autem virum non Ulixem fuisse neque uxoris procos dein interfecisse; cuius fabulae argumentum a poeta nostro receptum esse in suum de Ulixis Reditu carmen. Credibilia haec neque veris dissimilia; fortasse tamen sola ratio chronologica illa, quam supra (pag. 49 sq.) indicavimus, poetae praebuit personam Telemachi.

[2]) Tres fabulae quae sequuntur videntur confluxisse: 1) sacra armenta caeduntur a naufragis, 2) Solis armenta in insula remota pascuntur, 3) Solis armenta caeduntur a furibus (= armenta Ulixis a procis caesa). Quae inter se coniunctae praebuerunt armenta Solis occisa in insula remota ab herois, qui Sol fuisset olim, comitibus, cum illuc procella delati essent.

[3]) Cf. ε 61 κ 227, 254.

[4]) Cf. ζ 4—8 η 56—66. — Sic poeta Iliadis, ut Diomedem heroem Aetolum in Peloponneso collocare posset, eius patrem Tydeum illuc migrasse aut ipse finxit aut post alios narravit Ξ 119.

sic diversissima in unum confundens. Nam heros *iuvenis caelebs*, qui visit *Solis filiam* et insulam in qua *Solis armenta* pascebantur, tandem pervenit in insulam gentis dis proximae et beatissime viventis, ubi regis filiam uxorem duxit; qui vero ex ultimo occidente et ipsa mortis caligine *ad uxorem* textricem *rediit* heros sagittarius, is postquam visit regna furvae Proserpinae, a *Phaeacibus* reductus est *in patriam*.

Insignem autem locum — ipsa enim victoria heroi ibi paratur — in nostro carmine obtinent quae de arcus certamine narrantur. Nusquam autem clarius apparet poetam suis inventis non sua intermiscuisse, nusquam clarius apparet quibus finibus circumscripta fuerit poetarum epicorum libertas. Suo nimirum carmini poeta Odysseae adaptavit quae adeo nota praeberent carmina antiquiora ut nisi audientibus invitis ab ipso omitti non possent. „Sagittis heros adversarios peremerat": e mytho solari hoc desumtum — nam in sagittis quis non agnoscit solis radios? [1] — penitus increverat fabulae et a poetis servari necesse fuit. Ergo operam dedit poeta noster ut heroi suo, qui ante Troiam hasta et gladio, ut reges ceteri fere omnes, pugnasset armatus, non veles sagittarius [2], praeberet arcum eumque haud vulgarem. Apollo igitur Euryto Herculis aequali arcum olim dederat, ut Pandaro et Teucro, moriens autem Eurytus illum arcum reliquerat Iphito filio, hic Ulixi dono dederat; et sic Ulixes, postquam heros mortalis factus est, recuperavit arcum caelestem, quem suo iure olim tenuerat, cum deus esset lucifer. Iamque Apollinis illo arcu usurus est ad inimicos die festo Apollinis [3] confodiendos.

Hactenus apta et veri similia sunt omnia. Felicissimo dein invento poeta effecit ut arcus ille pretiosissimus, quem Ulixes tum, cum in bellum proficisceretur, domi reliquisset, eo ipso

[1]) Eadem notio subest fabulae quae est de Polyphemo ignea teli cuspide ab Ulixe caecato. Etiam sagitta qua Apollo Cyclopes fulminis ministros peremit hic est commemoranda, nec non Hercules Regem caliginis (*E* 395 sqq.) vel Gigantes (Eur. Herc. 177 sqq. al.) sagittis feriens.

[2]) Arcum Ulixes *ὁ δουρὶ κλυτὸσ* cum ad expeditionem nocturnam proficiscens requireret, ut Troianos circa ignes excubantes eminus petere posset in caligine latitans, a Merione sibi petivit, ipsi enim nullus erat (cf. *K* 260).

[3]) Cf. *υ* 156, 278 *φ* 258.

tempore quo heroi opus esset ex thesauro, ubi cum ceteris regis absentis opibus asservaretur, exprompus perveniret in manus senis mendici, quem omnes putabant. Quam carminis partem praestantissimam et cuivis notissimam a nobis nunc enarrari minime est opus. Suus hic est poeta et egregia arte ita ministravit singula ut ad finem optatum tenderent. Una tamen res miros nos habet, quam non ab ipso poeta excogitatam sed — quod iam diximus — e fabula antiquiore repetitam sentimus. Hanc iam indicaturi sumus.

Unum igitur, quo reditum ad patrem Icarium et novas nuptias etiam differret, regina misera, quam urgent omnes, hoc invenit ut procis superbis et molestis proponat arcus certamen, quippe quae speret atque confidat inter eos nullum esse qui pristinum suum maritum arte iaculandi aequare possit. Sed artis sagittariae specimen illud, quod Penelope a procis poposcit, a poeta eiusmodi verbis describitur ut claram rei imaginem huius menti non esse obversatam appareat. *Roboris* periculum significant verba „ὃς ῥηΐτατα [1]) ἐντανύσῃ", et mox procos frustra desudantes videbimus, dum arcum ingentem intendere frustra conantur; sic rex Scytharum is olim est factus, qui ad Herculis patris arcum intendendum satis se valere probavit [2]), et Cambysae postea rex Aethiopum misit arcum, quem si posset intenderet [3]). Itaque verba „διοϊστεύειν σιδήρου" [4]) quivis ita intellegat ut Ulixes per ferreas aliquot laminas sagittam adigere dicatur fuisse solitus, et verba „πελέκεων οὐκ ἤμβροτε [5]) πάντων πρώτης στειλειῆς" [6]) vertat: *cunctarum securium*

---

[1]) *Multi* quoniam rei periculum sunt facturi, sic indicatur quem regina ceteris sit praelatura. Sed quis facilius, quis difficilius arcum intenderet, quomodo poterat dignosci? Sequens autem verbum διοϊστεύειν eiusmodi additamento caret et carere debuit necessario. Arcum intendere aut potest quis aut nequit, dein si intenderit, sagittam per secures aut recte traicit aut impingit; sed comparationem haec non admittunt. — Quod vero regina non addit quid sit futurum si plures iussum perficiant, id non est molestum; nam *nullum* e procis victorem fore illa sperat et tantum non certo scit, nullum enim inter eos esse qui marito suo possit aequiparari.

[2]) Cf. Herodot. IV 9 sq.

[3]) Cf. ibidem III 21 sq.

[4]) Sic constanter: τ 587 φ (3, 61, 81), 97, 114, 127, 328 ω (168), 177.

[5]) Cf. φ 421. Est οὐχ ἁμαρτεῖν id quod τυχεῖν sive *assequi*, *ferire* igitur, non *vitare*.

[6]) Quoniam στειλειόν ε 236 est *securis manubrium*, ratio fert ut στειλειή — quam *ferri* partem esse contextus docet, nam „διὰ σιδήρου" iactus fieri debet, — sit *fistula ferrea* inter bipennis alas media, cui manubrium sit insertum.

summa capita Ulixes perforavit, neque aliter ea verba interpretari sinere videtur ipsa lingua [1]. Sed id si voluit poeta, procis propositum est certamen quod victoriae spem nullam haberet; non enim humanarum est virium, uno ictu perforare secures duodecim, sed divinarum [2]. Et *deus* Ulixes fuit primitus, *securium* autem mentio quin ad dei caelestis cultum antiquissimum sit referenda non videtur dubium; qui cultus his praesertim annis ex aedium vetustissimarum ruderibus in Creta effossis melius quam antea innotuit, et recordamur quam multus sit ipse noster poeta in Creta commemoranda [3]. Videtur igitur solis radios fulminum et nubium victores primitus significasse prisca fabula, et duodecim secures propterea commemorari quod duodecim sint anni menses; sed nihil eiusmodi cogitasse poetam Odysseae, id addi vix est opus, negari autem nequit obscurius enarrata esse quae ad certamen illud pertineant. Nempe e carmine, quod erat de Ulixis reditu, omitti non potuit sagittandi certamen vel iactus per secures, in antiquioribus enim carminibus haec per multas hominum aetates tradita omnibus innotuerant; itaque poeta noster, qui sagittandi neque curiosus fuit neque peritus, et auditoribus cecinit illam venatorum artem aspernatis, — inter milites enim arcus non iam in honore erat [4], — prisco hoc mytho ita fere ut aliquot saeculis postea Euripides duplicibus Dionysi natalibus aliisque priscis fabulis

---

[1]) Ingeniosissimum interpretandi conamen mecum communicavit Naber vir doctus, Naberi τοῦ πάνυ filius: deorsum necessario vergere tela quaelibet, gravitate pressa, sed quanto maior iis sit celeritas, tanto tardius superiorem fieri vim gravitatis; itaque si modo celeritas sagittae sit multo maior quam viribus humanis ei possit tribui, fieri posse ut vel per seriem rectam foraminum exiguorum acta non impingat, sed per cuncta transvolet. — Utinam credere possem poetam nostrum id ipsum et voluisse et dixisse! Hoc fortasse possum, eiusmodi quid voluisse antiquiorem illum poetam, quem noster in hac narrationis parte est secutus. Secures *ansatas* dici, qualem tenet Amazo quaedam in metopo Selinuntio efficta, suspicatus est Murray (cf. Helbig Epos[1] 255), Lang vero secures laminam *perforatam* habentes, qualis ex tumulo Amyclaeo anno 1889 est protracta (Tzountas and Manatt the Myc. Age 207). Sic facile sane intellegitur quomodo per ansas illas aut per ipsarum laminanum foramina sagitta potuerit transmitti, sed πρώτησ στειλειῆσ verba quomodo sint interpretanda nihilo melius liquet, et eiusmodi secures si vocabantur πελέκεισ, quid fuerint ἡμιπέλεκκα ea, quorum mentio fit Ψ 851, haud facile quis dixerit; neque admodum apta sic videtur δρυόχων comparatio.

[2]) Heroem solarem arcu ingenti sagittam *per aliquot arbores* transmittentem benevole e fabulis Indicis mihi indicat Speyer collega optimus.

[3]) Cf. infra.

[4]) Satis nunc est indicasse vilipendentis illud „τοξότα λωβητήρ" Λ 385.

ϝεκὼν ἀϝέκοντί γε θυμῶι est usus, carmini igitur, quod erat de rege mortali, adaptare frustra conatus quae de deo olim cantata fuissent credibilia, quoniam *τὰ ἀδύνατα παρ' ἀνθρώποισ δυνατὰ παρὰ θεῶι.* Egregie sane pinxit procos arcum ingentem frustra diu tractantes, dein ira et pudore suffusos, cum nimis clare appareret certamini impares esse. Contemtus autem ille erro cum nervum sine ullo labore et veluti ludens intendit, ut qui citharae verticillo fidem iniciunt, et nos afficimur gaudio illo dulcissimo, quod olim pertentavit animos eorum qui carmen immortale ex ipsius poetae labris exceperunt primi. Nervus digito herois sollicitatus resonat: audimus sonum voci hirundinis similem, victoriae praesagum, et quanta arcus sit vis sonus ille stridulus clare nobis dicit. Dein is, quem nequam senem omnes hactenus duxerunt, sumit sagittam et scopum petit, sic temere, ne assurgens quidem e sedili. Cernimus ea omnia: — at ut etiam id quod deinde factum est cerneremus poeta efficere non potuit, quippe qui ne ipse quidem mentis oculis id satis clarum viderit.

Subsimile quid accidit Iliadis quodam loco [1]). Quo loco item habetur certamen sagittandi, praemium autem certaminis dicitur id quod nostro loco est certaminis instrumentum; nam victori ibi decem bipennes proponuntur praemium, ei qui secundus fuerit secures decem simplices, victor autem erit is qui columbam tenui funiculo alligatam ferierit, secundus qui ipsum funiculum: „minoris enim id esse artis." Tum Teucri sagitta columbam petentis casu infelici ita aberravit ut secaret funiculum, Meriones autem arcu cito correpto avem liberatam et rapidissimo volatu sursum enitentem prius transfixit quam in altum effugere posset. Apparet igitur illo quoque loco duas narrationes esse permixtas, quarum altera esset de sagittario qui vel filum sagitta posset ferire, altera de sagittario qui vel avem sub nubibus volantem posset assequi; coniunctim autem enarrando haec ita mutavit cantor ut vix etiam agnoscantur et fabulam admodum absurdam praebeant. Cum in Iliade tum in Odyssea secures aliquot ancipites et admirabile quoddam specimen sagittandi coniunctim commemorantur, Iliadis autem loco accesserunt totidem secures simplices: duas quae

---

[1]) Cf. Ψ 850—883. Qui locus ipsi Iliadis poetae deberi non videtur.

eiusdem argumenti essent fabulas in unum confluxisse sic quoque apparet.

Quod autem notatu est dignissimum, etiam tertio quodam loco Homerico [1]) arcus ita commemoratur ut molesti quid habeat. Nam poeta quin putaverit duo cornua ibicis vel caprae aegagri πήχει aereo (vel aureo) coniuncta arcum ingentem effecisse non videtur dubium, sed monuerunt viri qui harum rerum sunt periti arcum, qui quidem alicuius utilitatis futurus esset, ita fieri non potuisse: *laminas* potius *corneas* agglutinandas fuisse lento ligno; sic hodie arcus artificio difficili et diuturno revera fabricari inter gentes Asiaticas [2]).

Vicit heros et Ulixem se esse vincendo ita probavit ut ea de re dubitare vix possit qui sanae sit mentis. Etiam ante arcus certamen initum et caedem procorum agnoverunt eum nutrix, subulcus, bubulcus; certissimum enim indicium praebebat vulneris olim accepti cicatrix. Et filio Telemacho est cognitus. Una uxor etiam nescit quis sit miser ille mendicus, quem despicatui omnes habuerunt hactenus. Credere diu haec recusat id quod spe maius tandem contigit, ut maritum adspiceret, neque suis ipsius oculis confidit. Ipsi rerum naturae hoc consentaneum, et in hac praesertim carminis parte admiramur poetam non iam materie priscarum fabularum onustum, sed ipsos cordis humani varios affectus verbis pingentem. Vix minus nos commovet Penelope maritum desideratissimum post longos annos tandem rediisse non credens, quam in Iliade Andromache marito, quem vivum ut iam mortuum deflevit, caeso balneum parans utpote e pugna superstiti. Diu speravit Penelope, iam sperare dedidicit, non vult etiam sperare. Maritum brevi adfore audivit: non credidit; adesse eum et procos peremisse audit: non credit; eum adspicit et ex ipsius Telemachi ore audit patrem optatissimum tandem rediisse: non credit, quia credere non audet. Nam nunc decipi, id plane non foret ferendum, sed

---

[1]) Cf. Δ 105—116.

[2]) Cf. Fellner Zschr. f. öst. Gymn. 1895, 193 sqq., G. Schmid in Comment. Min. Publ. Petrop. 1901, vLuschan in Festschrift-Benndorf 189 sqq., Leaf Iliad. I^2 584 sq. — Ceterum fortasse ne hi quidem versus ipsi Iliadis poetae debentur, sed postmodo sunt inserti (τόξον—αὐτὰρ ὃ); nam Pandarum, cum in acie adstaret, arcum involucro tectum habuisse, est quod miremur, et ab Apolline arcum accepisse dicitur *B* 827 *O* 441.

ipsa morte gravius [1]). Penelopae ut persuadeatur plus requiritur quam ut Eumaeo vel Philoetio.

Egregia haec et magno poeta dignissima. Sed cum pervenimus ad versus quibus poeta narravit quomodo igitur viri callidi uxor callida tali coniuge dignam se praestans tandem ipsa sibi persuaserit, haeremus. Et primum quidem haeremus in ipsis verbis textus traditi. Nam cum regina viro, qui Ulixem esse se perhibeat, lectum sternere ministras iubet

ἐκτὸσ ἐϋσταθέοσ θαλάμου τόν ῥ' αὐτὸσ ἐποίει,
ἔνθα ϝοι ἐκθεῖσαι πυκινὸν λέχοσ ἐμβάλετ' εὐνήν,

non congruunt verba Ulixis:

τίσ δέ μοι ἄλλοσ' ἔθηκε λέχοσ;

exclamantis et his sequentibusque verbis Penelopae probans se revera eius maritum esse. Nam lectum aliorsum translatum Ulixes mirari nequit, si ex ipso eo cubiculo, ubi olim eum collocaverit, afferre nunc iubeantur ancillae. Itaque *ἐντὸσ* pro *ἐκτὸσ* legendum esse apparet, et olim id vidit corrector editionis Florentinae, item *ἐνθεῖσαι* pro *ἐκθεῖσαι*, vel — quae Hartmani est sententia — praepositione omnino deleta scribendum esse *ἔνθ' ἄρα ϝοι θεῖσαι*. Ulixi *in cubiculo*, quod ipse olim sibi struxit [2]), lectum collocari iubet regina, dein rex: „ergone *ex illo cubiculo* lectus effractus et aliorsum translatus est?"


Sed his vitiis e textu tradito remotis cum perpendimus verba, quibus Ulixes enarrat rem non nisi sibi et Penelopae cognitam, non possumus non mirari torum ratione perquam insolita, ne plus dicamus, ab eo tum constructum cum uxorem ducturus proprium cubiculum in aedibus paternis sibi paravit, ut Hector vel Protesilaus [3]). Arborem ingentem inclusit cubiculi parietibus et tecto, dein folia, ramos, truncum, totam denique arborem recidit, solo pede relicto, ut torum genialem ex hoc pede sibi fabricaret:

θάμνοσ ἔφυ τανύφυλλοσ ἐλαίησ ἕρκεοσ ἐντόσ,
ἀκμηνὸσ θαλέθων· πάχετοσ δ' ἔεν ἠΰτε κίων·
τῷι δ' ἐγὼ ἀμφιβαλὼν θάλαμον 'δέμον, ὄφρ' ἐτέλεσσα,

[1]) Cf. ψ 215—217.
[2]) Cf. cap. XII.
[3]) Cf. *B* 701 *Z* 244 sqq. *I* 147, 582 ζ 68 κ 5—12 al.

πυκνῆισι λιθάδεσσι καὶ εὖ καθύπερθεν ἔρεψα,
κολλητὰσ δ' ἐπέθηκα θύρασ πυκινῶσ ἀραρυίασ.
καὶ τότ' ἔπειτ' ἀπέκοψα κόμην τανυφύλλου ἐλαίησ,
κορμὸν δ' ἐκ ῥίζησ προταμὼν ἀμφέξεσα χαλκῶι κτέ. [1])

Haec ioci potius causa dicta quam serio narrata viderentur, si iocis in hac carminis parte esset locus; nam Margiten potius illum, qui *πολλὰ μὲν ϝέργα ἐπίστατο, κακῶσ δὲ πάντα, καὶ πάσησ ἡμάρτανε τέχνησ*, quam Minervae alumnum *Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον* huius cubiculi architectam fuisse dixerit quispiam. Quis enim nisi desipiens non prius amoturus erat arborem recisam, dein trunci partem imam cubiculo inclusurus, si tori operosa eiusmodi structura placebat! Nunc computatio simplicissima docet truncum arboris procerae in medio cubiculo stantis, columnae similis, decem certe metris non minoris, deici non potuisse nisi aut metrorum quadratorum ducentum ad minimum esset solum cubiculi, aut perfringeretur paries modo structus:



— „At potuit truncus frustatim recidi, vel erectus in cubilis angulum transferri, dein deici."

Vera haec, et alia quae sunt huiuscemodi licet comminisci, sed supra quam dici potest sunt inepta neque quicquam quod eo tendat in ipso carmine legitur.

— „Sed non veluti ad amussim haec sunt exigenda: poetae, non Vitruvii opus legimus; non structoris haec sunt verba structoribus scribentis!"

Quadamtenus assentior sane, si modo concedatur non esse haec poetae libere fingentis, non esse enarrantis quae ipse mentis oculis viderit, nimis enim longe recedere ab ea ratione, quam cuivis, etiamsi artis aedificandi sit imperitissimus, commendet mens sana; poetam nunc quoque, ut saepe, priscam fabulam carmini suo inserere et utcunque adaptare. Nam, ut cetera mittamus et credibile ducamus heroem thalamum tam vastum, tam alte eductum ut turri quam cubiculo similior et Aloadis, qui *μῆκοσ ἐγενέσθην ἐννορόγυιοι*, quam modicae staturae homini aptior esset,

---

[1]) Cf. *ψ* 190 sqq.

solum scilicet sibi struxisse [1]): *cur* tandem torum sibi fecit ex olivae pede solo inhaerenti? Cavebatne ne ὑπὸ Ποσειδῶνος τοῦ σεισίχθονος ἐνοσιγαίου aliquando inde eiceretur, quemadmodum Alcibiadem terrae motu e reginae Lacaenae cubili excussum postea tulit fama maligna [2])?

— „Apage facetias inficetas! Firmum et stabile coniugium sic significatur."

Haec si cui placet interpretandi ratio, τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω! Sed non multis eam hodie probari arbitror [3]): aut nusquam aut hoc loco per verba poetae pellucent vestigia aevi vetustioris.

Nam tectum thalami deme, arboris autem ramis parce luxuriantibus, securim trunco ne admove: quid habemus? *Arborem sacram*, quales multae ostenduntur in Iliade et in Odyssea:

τὰς δ' οὔ τι βροτοὶ κείρουσι σιδήρωι! [4])

Habemus

θάμνον τανύφυλλον ἐλαίης ἕρκεος ἐντός,

ἀκμηνον θαλέθοντα,

ut iterum ipsis poetae nostri verbis utamur: *olivam sacram peribolo* sive σηκῶι *cinctam*, quo a vicinia secernatur [5]); habemus ναὸν οὐκ ἔχοντα ὄροφον, talem igitur ναὸν quales solos cognitos habuit poeta [6]), cuiusmodi et postea fuit delubrum illud Matris deorum Arcadicum, quod descripsit Pausanias [7]); cuiusmodi delubrum in quibuslibet aedibus privatis semper fuit Iovis ἑρκείου, cuius ara stare solebat μέσσωι ἕρκεϊ αὐλῆς, ut loquitur Homerus [8]); et recor-

[1]) Admodum infeliciter hoc loco usus est Helbig ad demonstrandum artem aedes lapideas struendi tum cum nata sit Odyssea ultra prima rudimenta vix fuisse progressam. Cuius verba haec sunt: „es wirft ein bedenkliches Licht auf das Niveau der „damaligen Maurer-, Zimmer- und Tischlerarbeit, dass sich damit . . . auch Laien „befassen" (Hom. Epos[1] 11 et 69 sq.). Odysseae hunc locum cum perlegimus, non est quod suspicemur fabrorum mortalium illorum, qui aetate poetae vixerint, exiguam fuisse artem, sed Minervae alumnum Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον, cui etiam artium variarum, cum opus esset, plurimam peritiam dea praeberet, cubiculum ratione adeo operosa et praepostera sibi struxisse, hoc est quod miramur.

[2]) Cf. Xen. Hell. III 3 § 2 et de illo loco Hartman Anal. Xen. I 322 sqq.

[3]) Huiuscemodi quid si cogitasset poeta, aliqua ratione significasset; cf. e. g. Δ 234 sqq. vel Γ 300.

[4]) Cf. h. Ven. 268.

[5]) Ipsa vox λιθάδεσ ψ 193 huic interpretandi rationi favet.

[6]) Cf. cap. XV.

[7]) Cf. Paus. VIII 44 § 3.

[8]) Cf. Π 231 Λ 774.

damur loci Iliadis, ubi celebratur pater caelestis cum uxore in Idae cacumine sub celsa arbore congressus [1]). Cavernam, in quam Ulixes a *Calypso* est receptus, inumbrabat *vitis*; cavernam, in qua a *Polyphemo* est inclusus, circumdabant *lauri*; caverna *Charybdis*, quam vita vix salva reliquit, sub ingenti *caprifico* erat abdita [2]); cavernae *Phorcynis* sive Nympharum, unde Ulixes tum emersit cum solum patrium pedibus primum pressit e longo itinere tandem redux, sacra *oliva* praeminebat, nec non ex olivae umbra heros prodiit cum in *Nausicaae* conspectum venit primum: etiam locum ubi Ulixes cum *Penelope* vel potius — ut omissis nominibus propriis caput rei solum indicemus, non enim de Odyssea sed de mythis vetustis nunc loquimur, — ubi *deus sagittarius* cum *dea textrice* coniunctus est, oliva procera inumbravit. Arbore deae Textrici sacra, intacta, pervetusta insignis fuit locus ubi ἱερὸσ γάμοσ fuit celebratus. Sub illa arbore — non in pede trunci recisi! — coniugibus stratus fuit torus; illic

χθὼν δῖα 'φύεν νεοθηλέα ποίην,
λωτὸν ἐϝερσήεντα ἰδὲ κροκὸν ἠδ' ὑάκινθον
πυκνὸν καὶ μαλακόν [3]),

admurmurante fortasse fonte iugis aquae, ut in cavernis Calypsus [4]) et Phorcynis [5]); similis igitur fuit Ithacae ille locus, ubi Ithacus insulae eponymus aram olim struxit Nymphis [6]).

Olivae autem quod eo de quo disputamus loco [7]) fit mentio, ipsi deae, quae in Ithacae reginam abiit, olivam sacram fuisse inde efficitur. Neque mirum est, illi deae, quae propter telam certis vicibus et crescentem et decrescentem fuit celebrata [8]), in prisco ritu et in priscis carminibus sacram fuisse eandem arborem atque Ἀθηνᾶι Πανδρόσωι καὶ Ἐργάνηι, quam in urbis suae arce primam

---

[1]) Cf. Ξ 287 sqq. et de hoc loco cap. IV.

[2]) Neque vitis neque laurorum alibi apud Homerum fit mentio, neque caprifici nisi in Iliade, ubi commemoratur sacra quaedam caprificus tumulo Ili vicina.

[3]) Cf. Ξ 347 sqq. — Etiam multis saeculis post simile fuit cubile Adonidis et Veneris. De hoc aliisque Graecorum et Romanorum *lectisterniis* cf. Marquardt Handb. de röm. Alterth. VI 45 sqq.

[4]) Cf. ε 70.

[5]) Cf. ν 109.

[6]) Cf. ρ 205—211.

[7]) Ut ν 102.

[8]) Cf. β 93 sqq. τ 138 sqq. ω 129 sqq.

olivam in lucem evocasse gloriati sunt Athenienses, cuius antiquissimum βρέτασ ex olivae ligno caelatum fuit.

Ipsa arbor, de qua tam multa locuti sumus, stabat Athenis in delubro Erechthei, in aula prisca regiae Cecropiae sive *ἐν τῶι τεμένει Ἀθηνᾶσ Πανδρόσου*, almae deae, quae agrorum sitim rore suo — Lunae dono — restinguit et homines docuit artes nendi atque texendi; cui quinto quoque anno Athenienses pompa sollemni pallam offerebant, telam textrici.

Altera quaedam Minerva fieri sic videtur Penelope; deae, quae heroem cura sollicita semper prosecuta et ab ira Neptuni tutata est, admodum similis fit uxor, quae fidelissimam ei se praestitit [1]). Quod autem in orbem mythorum *Atticorum* sic incurrimus, id non est quod nos deterreat; recordamur enim ipsam deam, quae Ulixi adeo favit, „*Atheniensem*" proprio nomine esse vocatam et Athenis *Neptuno* superiorem tum evasisse cum olivam in lucem protulit; post cultum autem *Minervae Virginis* veluti latitasse cultum antiquiorem *deae uxoris* et matris, cui Erechtheus non alumnus terra editus tribueretur [2]), sed verus filius [3]); *Icarium* Penelopes patrem demi Attici Icariae — unde vitis et tragoediae origo repetebatur — esse eponymum, et *Maronem* sacerdotem, qui vino fragrantissimo Ulixem donavit, eponymum esse Maroneae demi Attici, ubi Atheniensibus fuerunt argenti fodinae [4]); ad *Piraei* heroem eponymum abiisse Theoclymenum vatem Telemacho amicum [5]); *Nausithoum* et *Phaeacem* in fabula Attica, quae erat de Theseo, fuisse commemoratos [6]), ut *Andociden* a Persepolide Nausicaae et Telemachi filio gentem repetentem [7]) et *Pisistratum* nunc mittamus; *Daedalum* — demi Attici Daedalidarum eponymum — deae Cretensi illi, quae cum Atheniensium dea Minerva Pandroso sit conferenda, struxisse

---

[1]) Quamdiu *deus* fuit Sagittarius ille *τηλέμαχοσ καὶ Διὶ μῆτιν ἀτάλαντοσ*, quem Ulixem vocare consuevimus, deae alicuius auxilio ei non fuit opus, nedum filii vel subulci opera fuerit usus; satis enim ad protegendum se et ad hostes confodiendos valebat ipse.

[2]) Sic iam Iliadis poeta, *B* 548.

[3]) Minerva Vulcani socia Athenis colebatur (cf. Plat. Crit. 109*c* Paus. I 26 § 6 al., Preller-Robert Myth. I[4] 180, 1); cui sacra pervetusta ferebant puellae Ersephori (Paus. I 27 § 4; cf. etiam 24 § 3).

[4]) Cf. [Aristot.] Rep. Ath. 22 § 7.

[5]) Cf. ο 539 sqq. ρ 55 sqq. υ 372.

[6]) Cf. Plut. Thes. 17.

[7]) Cf. Suid. s. v. *Ἀνδοκίδησ*.

orchestram Atheniensi similem [1]; *Eleusinium* delubrum perantiquum [2] et *Eleusinia* ludos omnium antiquissimos [3] Athenis fuisse eius deae, cuius antrum Cretense Ulixes dicatur visisse [4]; inter Athenienses denique valuisse morem *nuptias* tempore interlunii ineundi, ad exemplum *τῆς συνόδου solis* et *lunae*, quam *θεογαμίαν* etiam sacris ferendis celebrare solerent [5].

At cur tandem proceram et decoram illam olivam poeta Odysseae aut is quem ille secutus est intactam manere non sivit? Causa rei haud obscura est. Alius enim mythus ferebat *τὸν ἱερὸν γάμον* — nam sic Sagittarii et Textricis coniunctio vocanda est de priscae fabulae origine disputantibus — celebratum esse in loco qui non nisi *arbore sacra* inumbraretur, ut fuit locus ille ubi Iuppiter cum Iunone in montibus Troianis congressus est: alius vero mythus in latebris *cavernae* sacra oliva protectae, Phorcynis igitur illi cavernae quam novimus simillimae, ut de Calypsus Cyclopis Charybdis cavernis nunc taceamus [6]. Sic et de Iovis cum Europa matrimonio duplex fuit fama; quos alii [7] in caverna Dictaea, alii [8] sub sacra arbore convenisse ferebant. Quae imagines cum in unam confluxissent et in ipsam cavernam recepta esset oliva, deus autem in heroem mortalem abiisset, *caverna* illa abiit in herois *cubiculum*, *arbor* autem, quae „columnae instar erat", foliis et ramis amissis in veram *columnam* erat abitura [9], sed plus valuit vetusta notio arboris *cubile* coniugum protegentis; itaque ipsum cubile ex sacra illa oliva factum est, musis non sane faventibus, sed ne hanc ob causam reiciamus rei quam pro-

---

[1] Cf. Σ 592. — In annotatione certe laudanda nunc sunt Useneri (Archiv f. Religionswiss. 1904, 313) verba: „ich zweifle nicht dass der Wettkampf (ἀγών) ... der „alten Attischen Komödie ... ursprünglich der stehende Kampf des Winter- und des „Sommergottes war."

[2] Cf. Andocid. de Myst. § 111 al.

[3] Cf. [Aristot.] Rep. Ath. 54 § 7.

[4] Cf. τ 188 et infra pag. 78, 5.

[5] Cf. Proclus ad Hes. Op. 780 Roscher Lex. Myth. II 3159 sqq.

[6] Etiam tum cum Aethonem quendam Cnosium, Minois filium, Iovis nepotem esse se fingeret Ulixes, ad *sacram* quandam Cretae *cavernam* pervenisse se perhibuit; cf. τ 172—195 (supra nota 4).

[7] Cf. Lucian. IX 15 § 4.

[8] Cf. Theophr. H. Plant. I 9 § 5.

[9] E cultu *arborum sacrarum* natum esse cultum illum vetustum *sacrarum columnarum*, de quo plurima sunt disputata ex quo archaeologi indefessa industria perscrutati sunt rudera priscarum aedium Cretensium, id hic dici vix est opus.

tulimus explicationem, cum alia dehortantur tum *nummi Gortynii*, ipsam rem veluti ad oculos demonstrantes, qui mulierem ostendunt sedentem in arbore sub corporis pondere incurvata necdum tamen foliis carenti.

Et sic antiquis Curetum allabimur oris. In *Cretam* pervenimus, ubi olim cultum esse numen cui sacra esset *bipennis*, adeo iam constat post effossa illic vetustarum regiarum rudera, ut in communem hominum sermonem abierit res, quam antehac suspicari tantum poteramus. Nemo autem nescit plurimam variamque passim per Odysseam mentionem fieri Cretae, quam insulam cum *saltationum sacrarum* tum *sagittariorum* veluti patriam Graeci inde ab Homero duxerunt [1]), et Ulixem tum cum falsa veris remixta narraret pastori quem putabat Ithacensi et Eumaeo et Penelopae, Creta oriundum et ex Iove prognatum se perhibuisse constanter [2]), quin et ex Aetolo quodam Eumaeum olim audivisse Ulixem in regia Idomenei Cretensis esse versatum [3]). Quae inter se collata luculenter testantur extitisse olim mythum quo Ulixes revera in Creta collocaretur et Iovi Minoi Idomeneo fieret cognatus, vel potius — ut altius etiam adscendamus per mythologiae semitas arduas salebrosas obscuras — in Creta cultum olim fuisse numen illud solare, quod saeculis volventibus post multa rerum pericula tandem abiit in Ulixem illum Troiae victorem, quem novimus ex Iliade et ex Odyssea.

Nam ita mentiri solent heroes, cum *ψεύδεα πολλὰ ἐτύμοισιν ὁμοῖα* proferunt. Sic poeta Atticus, qui hymnum Cereris fecit, mythum priscum, qui fuit de mysteriorum Eleusiniorum origine *Cretensi*, non abiecit, licet argumento sui carminis, quod Cererem *Eleusinem* receptam celebrabat, non conveniret, sed ita inseruit ut mythus ille Cretensis abiret in narratiunculam ab ipsa dea fictam ad auditores decipiendos [4]); extare illum mythum poeta negare non potuit, sed falsum esse sic veluti ipsius deae ore asseveravit. Haud aliter poeta noster Ulixem etiam de *Thesprotio* itinere „mentiri" quaedam

---

[1]) Cf. Σ 591 sq. et Κ 260 Ψ 870.
[2]) Cf. ν 256 sqq. ξ 199 sqq. (π 62 ρ 522 sqq.) τ 172 sqq.
[3]) Cf. ξ 382 sq.
[4]) Cf. h. Cer. 123 sqq. cum Diodor. Sic. V 77.

fecit, quae desumta sunt e fabula ab argumento Odysseae aliena [1]; nam in Thesprotiam Ulixem revera venisse, Callidicen ibi uxorem duxisse, ex ea — aut ex alia virgine — genuisse Euryalum, priscae quaedam fabulae tulerunt [2].

Quo autem potissimum Cretae loco illud quod dicimus numen olim fuit cultum? Ecquid *Amnisi* — haud procul a Cnoso — in caverna illa, quam *Ilithyiae* sive *Eleuthyiae* [3] τῆι εὐλίνωι θεῶι [4], *deae textrici*, sacram fuisse dixit poeta Odysseae [5]? An in caverna *Dictaea* Lycto vicina, quae et olim inter Graecos clarissima fuit propter Iovis cultum vetustissimum et his annis sedule explorata nobis qui nunc vivimus melius innotuit [6]? Ibine in latebris cavernae plurimis *bipennium* imaginibus exiguis etiamnunc refertae, cuius pars *septentrionalis* ab *hominibus* deum pie colentibus adibatur sola, pars *meridionalis adytum* efficiens [7] et lento aquarum superne stillantium labore *varie ornata* [8] Iovis infantis ab *apibus* [9] nutriti cunas habuisse ferebatur, quaerenda sunt primordia fabulae quae fuit de Ulixis reditu? Odysseae sane poeta illam cavernam non celebravit, fortasse ne cognitam quidem habuit neque in Cretam venit unquam; attamen decora illa Phorcynis caverna imaginem cavernae Dictaeae quadamtenus refert. Etiam tertiam quandam cavernam Cretensem cum fabula, quae fuit de Ulixe, coniungit notitia vetusta, sed brevior quam vellemus: „Ἀρκέσιον ἄντρον τῆσ Κρητικῆσ Ἴδησ [10]; nam *Arcesius* in Odyssea dicitur avus Ulixis. Ipsumne autem Ulixis nomen a *Lycti* sive *Lytti* urbis nomine est repetendum? [11]

---

[1]) Cf. ξ 315—333 π 65 ρ 526 τ 271—299.

[2]) Cf. quae de Telegonia et de Euryalo Sophocleo sunt tradita, vWilamowitz Hom. Unt. 187 sqq., Ed. Meyer Herm. 1895, 260 sqq., Gruppe Myth. 625, 10, 716.

[3]) De Ilithyia sive Eleuthyia cf. Rutgers v. d. Loeff de ludis Eleusiniis; qui p. 70 haec scripsit: „deam, cui ante Cereris adventum Eleusis sacra erat, ex Creta oriun„dam conieceris."

[4]) Sic Olen in prisco hymno apud Paus. VIII 21 § 3.

[5]) Cf. τ 188.

[6]) Cf. Hogarth British School Annual 1899, 9!—116, Karo Archiv f. Religionswissensch. 1904.

[7]) Cf. ν 109—112.

[8]) Cf. ν 105—108.

[9]) Cf. ν 106. Ab eiusmodi caverna, qualem pinxit poeta Odysseae, mari obversa, apes sunt alieniores.

[10]) Cf. Et. M. s. v.

[11]) Cf. p. 48, 3.

Iuppiter Carius, — i. e. numen caeleste in Graecia ante adventum Achivorum passim cultum, — qui securi fulgida nubes findit [1]), in Cretae saltibus colebatur tripudiis Curetum, eius uxor saltationibus perplexis labyrinthi [2]). *Nomina* autem numinum omisisse nunc praestat; nam sive *Iovem* et *Europam* dicimus, sive *Minoëm* et *Pasiphaën*, sive *Dionysum* et *Ariadnen*, matrimonium „reginae" Atheniensis cum Dionyso quotannis celebratum conferentes [3]), eodem fere redit res, licet illud matrimonium a variis gentibus Cretae *τῆσ ἑκατομπόλεωσ* variis nominibus fuerit significatum.

Herois nostri *cubiculum* primitus fuisse *sacram cavernam* satis iam perspeximus, et melius quam antehac intellegimus cur Apollonius Rhodius sui carminis heroem cum Medea *in caverna* primum esse iunctum aut finxerit aut post alios cecinerit [4]).

Confirmatur autem nostra opinio nomine *mulieris*, cui cubiculum illud, vel potius — ut Graeco nomine utamur — cui *thalamus* Ulixis concreditus fuisse dicitur. Praestat sic loqui, quia *duo* vel etiam *tria* Ulixis conclavia in Odyssea commemorantur. Quorum primum id est, cuius curam habuit *Euryclea*: vinum, oleum, aliae copiae domesticae ibi asservabantur [5]). In secundo aurum aes ferrum alias res pretiosissimas seclusa tenuit ipsa regis uxor *Penelope* [6]). De tertio, in quo collocatus fuit torus genialis, modo

---

[1]) Aevi antiquissimi memoriam etiam postea servarunt *securiculae ancipites aureae*, infantium Graecorum crepundia *ἀποτρόπαια*, quorum apud Menandrum et Plautum fit mentio (Men. Disc. 169 Plaut. Rud. 389 sq., 1154—1171).

[2]) Voces *λαβύρινθοσ* et *λάβρυσ*, quod *securis ancipitis* fuit nomen rituale sive priscum, quin inter se cohaereant non videtur dubium; *-ινθοσ* autem quoniam nominum *loca* designantium est terminus pervetustus (*Κόρινθοσ Πείρινθοσ Προβάλινθοσ* al.), *labyrinthus* videtur id valere quod *locus* (*aedes? orchestra?*) *securis ancipitis*. Cf. M. Mayer apud Roscherum in Lex. Myth. II 1782, et de labyrinthi saltatione Benndorf apud Reichelium Hom. Waffen[1] 133—139. Labyrinthi figuram antiquissimam nummi Cnosii exhibent *swasticam* (cf. Cook Class. Review 1903, 410, 1904, 326).

[3]) Cf. [Arist.] Rep. Ath. 3 § 5 [Demosth.] Neaer. § 74—78.

[4]) Cf. supra p. 61, 3. — Item postea Virgilius Aeneam cum Didone in antro congressum cecinit.

[5]) Cf. β 337 sqq.

[6]) Cf. φ 8 sqq.: *θάλαμοσ ἔσχατοσ* sive *cella interior* haec fuit; quam *τέκτων* quidam olim aedificaverat *ἐπισταμένωσ* (l. l. vs. 43—45). Quod autem β 338 etiam in illo conclavi, cui praefuit *Euryclea*, asservata esse dicuntur regis *aes* et *aurum*, aut non est urgendum discrimen hoc levissimum, aut librorum β et φ hi loci ita inter se sunt conciliandi ut *ἔσχατον* interpretemur cellae ab ancilla custoditae partem separatim clausam, in quam sola regina pervenire potuerit.

disputavimus, hoc autem custodivit *Eurynome*. Tres hos, quos carmen nostrum praebet, thalamos ex uno mytho procrevisse ipsa harum mulierum nomina inter se collata luculenter testantur, cum praesertim quarta adiungi possit ministra illa, quae cubiculo Nausicaae — sive Penelopes alterius, si ita loqui licet [1]), — fuit praeposita. Huic θαλαμηπόλωι nomen fuit *Eurymedusa* [2]), quod nomini *Eurynomes* cum sono tum vi tantum non consimile est, — conferri possunt e. g. Achillis aurigae *Alcimedon* et *Automedon*, — utrumvis autem nomen quam male conveniat aniculae curam cellae vel cubiculi solam habenti, demonstrari non est opus, non enim ancillarum est *late imperare*, sed reginarum potentium; est dearum, est *deae Eurynomes* Oceani filiae, quam et aliunde novimus et ex ipso Homero [3]). Neque *Eurycleae* nomen aptum est humili officio ancillae quae vinum tantum et oleum vel lodices et culcitas sibi habeat concredita; quod autem poeta narrat virginem illam nobilem, — nam patris et avi nomina commemorantur, — quam magno pretio Laërtes emisset, eius uxorem quidem non fuisse, sed uxoris instar ab eo fuisse honoratam [4]), *Anticlea* altera — quod nomen uxori Laërtae, matri Ulixis in Odyssea tribuitur — veluti ante oculos nostros fieri sic videtur, non ministra sed regina, quam ϝέδνοισι more solito a patre emerit maritus, non pretio dominus a venditore. Utque inter se haec omnia coniungeremus, si non cogeret ipse nominum quae attulimus sonus, haec quibus poeta sub carminis finem usus est verba coegissent:

Εὐρυνόμη τε ἰδὲ τροφὸσ ἤντυνον εὐνήν [5]).

Nam aut nusquam aut hic cernitur quid sit contaminare fabulas. Primitus autem — id est ante multas hominum aetates quam Odysseae poeta est natus — ea, quae *per dicionem immensam late imperare* et *fama late celebrari* dicta est, fuit *dea*, cui caverna quam diximus sacra fuit, *Opis* illa sive Ὦπισ θυγατήρ, ut Odysseae poeta locutus est [6]), cuius „sepulcrum" sive caverna celebrabatur Deli [7]), *Terra Mater*, ex cuius gremio obscuro prodiit quicquid

---

[1]) Cf. supra p. 60, 1.
[2]) Cf. η 7 sqq.
[3]) Cf. Σ 398 sqq.
[4]) Cf. α 428—433.
[5]) Cf. ψ 289.
[6]) Cf. α 429 β 347 υ 148.
[7]) Cf. Herodot. IV 34 sq.; Opis, quae „Dianae famula" vel „nutrix" vocatur, primitus fuit „alma dea terrestris" (S. Wide).

vivit, in cuius gremium redeunt omnia et omnes qui vixerunt [1]).

Vita e morte, lux e caligine prodiens, sol tenebris occidentalibus quotidie haustus, a parte orientis denuo mox emersurus [2]), sol post languorem brumalem suas vires recuperans et terram ex torpore excitans, matrimonium Sagittarii caelestis cum Textrice telam identidem resolventi, haec omnia, quae nominibus *Circes*, *Calypsus*, *Penelopes* breviter significari nunc possunt, in carminibus vetustissimis celebrata praebuerunt partem materiei, e qua structa est Odyssea; sed ita praebuerunt ut non nisi pauca quaedam veteris aevi vestigia, ut certa, sic tenuia et ipso poeta inscio hic illic remanserint, lectoribus hodiernis non nisi acerrime oculos intentantibus deprehendenda.

Corollarii loco de Odysseae *chronologia* pauca quaedam sunt addenda.

Quae ante carminis initium acciderunt haec sunt:

Ulixes rex Ithacae uxore Penelope et filiolo Telemacho recens nato relictis cum ceteris regibus Achivis in bellum adversus Troiam est profectus. Qua urbe ipsius potissimum dolo anno decimo tandem capta et deleta cum iter in patriam iniisset, procellis in maria ignota abreptus non Ithacam, sed ad Lotophagos, dein ad

---

[1]) Etiam *Eurydice* huius deae est nomen paene consimile; quae Orphei sive regis tenebrarum fuit uxor, et in Odyssea Nelei, quod Ditis inexorabilis primitus fuit nomen, dicitur nurus γ 452. Praeterea in annotatione certe indicandae nunc sunt *Hathor* „sycomori dea" Aegyptia, de qua cf. Roscher Lex. Myth. I 1850—1854, et *Adrastea* sive *ea quam nemo effugit*. — veluti Adrastus sive Dis quaedam femina, — quae Iovem infantem in caverna Cretensi educavit (Call. h. Iov. 47, Apoll. Rh. III 133).

[2]) Ita loqui non Odysseae potissimum argumentum nos iubet, in qua ἡ νέκυια quaeque eiusdem sunt generis antecedunt τὸν νόστον, sed ipse veterum mos cursum temporis in νυχθήμερα sive νύκτας τε καὶ ἤματα — non ἤματα καὶ νύκτας — dirimendi, qui et aliunde et ex ipso Homero (e. g. Α 424 „χθιζὸς") est cognitus. Computandi initium sic non *ortus* solis praebet, sed eius *occasus*, vel potius κνέφας ἐπερχόμενον, νὺξ οὐρανόθεν ὀρνυμένη: diem nox non sequitur, sed antecedit, νὺξ ἐναριζομένη τίκτει ἥλιον, ut verbis Sophocleis utamur. In melius igitur, non in deterius tendere rerum natura sic videtur: non singulis diebus ad finem vergentibus novo luctu opprimi ob lucem mersam, sed sub singularum noctium exitum nova lucis mox emersurae spe erigi. Sic series syllabarum brevium et longarum, alternis vicibus collocatarum, prouti in iambos aut in trochaeos dividitur, aut laeto impetu assurgere aut tristius decurrere videtur. Quas res fusius hic exponi neque necessarium videtur neque sinit spatium.

Cyclopes, tum ad Aeolum ventorum arbitrum, denique in portum Laestrygonum delatus est, a quibus saxis petitus e navibus duodecim, quibuscum bellum susceperat, undecim amisit. Mox ad insulam Circes pervenit, apud quam cum annum integrum degisset, iter ad sedes mortuorum illa iubente suscepit. Inde ad eam reversus, dein Ithacam tandem profectus, Sirenes et Scyllam feliciter praetervectus ad insulam Thrinaciam pervenit, ubi ventis adversis remanere cum esset coactus, sodales fame urgente boves Soli sacras necarunt. Ob hoc sacrilegium iratus Sol a Iove petivit ut se ulcisceretur; itaque cum vento sedato Ulixes iter continuasset, Iuppiter navem fulmine feriit. Perierunt ceteri: unus Ulixes vita salva excidit in insula Calypsus, quae comiter exceptum per septem annos invitum detinuit.

Interim Ithacae Telemachus excrevit in puerum robustum, Penelope autem mariti reditum moesta expectavit. Et novae accesserunt aerumnae cum post Troiae excidium annis compluribus praeterlapsis necdum Ulixe ad suos reverso principes Ithacenses et insularum vicinarum coeperunt opibus regis, qui mortuus esse credebatur, inhiare, ipsum regnum appetere, eius uxorem in matrimonium flagitare. Quae callido dolo per triennium eos detinuit, dein vero proci etiam impudentius se gerere, quotidie in regiam convenire, ibi lautis epulis bona regis absentis consumere, non prius abituros se professi quam regina unum ex ipsis maritum elegisset.

Iamque decennio post Troiam captam praeterlapso, anno post eum quo bellum Troianum est initum undevigesimo ad finem vergente, Odyssea incipit.

Die I (α) Ulixem ex insula Calypsus tandem in patriam redire Iovi ceterisque caelitibus placuit petente Minerva, quae ipsa Telemachum Ithacae visit utque virum adultum se praestaret hortata est.

Die II (β) Telemachus cum in concione Ithacensium de procorum impudentia frustra esset conquestus, iter in Peloponnesum suscepit, ut Nestorem et Menelaum, qui e bello dudum rediissent incolumes, de patris sorte interrogaret.

Die III (γ 1—403) Telemachus visit Nestorem, qui certi dicere nihil habuit.

Die IV (γ 404—490) Telemachus iter Pylo Spartam iniit.

Die V (γ 491—δ 305) Telemachus pervenit ad Menelaum.

Die VI (δ 306 sqq.) Menelaus Telemachum docuit se e Proteo maris deo ante annos aliquot audivisse, Ulixem in insula Calypsus vivere. Proci autem cum audivissent Telemachum in Peloponnesum abiisse, insidias ei pararunt, ut redeuntem interficerent.

Die VII (ε 1— 227) a Mercurio Iovis nuntio Calypso iussa est Ulixem abire sinere.

Diebus VIII—XI (ε 228—262) Ulixes ratem sibi struxit.

Diebus XII—XXVIII (ε 263—278) per mare iter fecit.

Diebus XXIX—XXXI (ε 279—389) procella correptus et rate fracta cum fluctibus est luctatus.

Die XXXII (ε 390 sqq.) in littore Scheriae insulae excidit.

Die XXXIII (ζ, η) a Nausicaa Alcinoi regis filia, dein ab ipso Alcinoo benevole est exceptus.

Die XXXIV (ϑ—ν 17) Alcinous in hospitis honorem ludos habuit; dein Ulixes ei et convivis casus suos enarravit.

Die XXXV (ν 18—187) Ulixes a Phaeacibus Ithacam est reductus.

Die XXXVI (ν 188—ο 188) a Minerva in senem mendicum mutatus Eumaeum subulcum adiit, apud quem noctem transegit. Telemachus autem Sparta rediit Pheras.

Die XXXVII (ο 189—494) Telemachus Pheris Pylum, inde per noctem Ithacam iter fecit, procos in insidiis se expectantes latens. Ulixes apud Eumaeum remansit.

Die XXXVIII (ο 495 sqq. et π) Telemachus ab itinere redux visit Eumaeum, apud quem invenit patrem, qui ei soli agnoscendum se praebuit.

Die XXXIX (ϱ—υ 90) Ulixes mendici partes agens adiit regiam, ubi a procis contumeliose habitus, dein cum regina confabulatus, noctem transegit.

Die XL, qui fuit novi anni primus (υ 91—ψ 343), Penelope procis sagittandi certamen proposuit, dein Ulixes procos peremit et uxori agnoscendum se praebuit.

Die XLI (ψ 344 sqq. et ω) Ulixes visit Laertem patrem, dein procorum caesorum agnatos profligavit.

Inter se iuncta igitur haec, quae poeta de temporis decursu hic illic cecinit, seriem dierum plus quadraginta praebent. Sed multum abest ut menti ipsius poetae hoc temporis spatium perpetuo fuerit

obversatum. Qui si accuratam temporis rationem inde a carminis exordio instituisset, Telemachum non ante, quam Ulixes e Calypsus insula profectus est, iter iniisse finxisset, sed vigesimo demum die post. Nunc bis haeret rerum decursus; nam neque liquet cur Mercurius septimo demum die, postquam Minerva a Iove petiit ut ad Calypso eum mitteret, revera illuc sit missus [1]), neque cur Telemachus mensem integrum Spartae nihil agendo transegerit.

Itaque dierum hanc seriem postquam descripsimus, neglegamus oportet dum Odysseam perlegimus, ne iniuria fiat poetae in his rebus neglegentiori. Qui si melius consuluisset chronologiae, ipsi suo carmini minus bene consuluisset. Sic enim inde a carminis initio Ulixis reditus ex insula Calypsus ei fuisset enarrandus; nunc vero in libris α—δ sorte misera Penelopes atque Telemachi et impudentia procorum ante oculos audientium positis animum nostrum veluti dramatis prologo ante paravit quam eum qui primarum esset partium in scenam induceret. Dein autem numerum dierum non anxie computavit, sed Telemachum die tertio postquam Menelaum visit ab eo abiisse, octavo igitur itineris die Ithacam rediisse sumsit [2]), procos autem non per dies triginta duos, sed per triduum eius reditum in insidiis expectasse.

Quo errore chronologico carmen contaminatum argui multi statuerunt. Mihi secus videtur. Nam qui opera aliena refingunt vel inter se coniungunt, cavere solent ne singulae partes operis musivi, eae praesertim quae numerandi et computandi periculo sint obnoxiae, nimis aperte inter se discrepent; ipsorum potius poetarum est temporum rationes minus anxie exigere. Poetam nostrum quod fugit vitium et fugere facillime potuit, id manu interpolantium non deprehendi vix et ne vix quidem potuisset, nedum ab iis in textum potuerit invehi. Nam statim apparet illud quod diximus vitium ei qui rerum in Odyssea enarratarum summam totam simul mente complectitur: non apparet ei qui aurem praebet ipsi poetae singulas res deinceps fuse enarranti.

---

[1]) Cf. α 84 sq. cum ε 28.

[2]) Congruunt β 373 sq.: *intra decem dies* iter perfecturum se confidit Telemachus.

III.

ARISTOTELIS DE ODYSSEAE COMPOSITIONE SENTENTIA [1].

Quid significant quae de Odysseae compositione scripsit Aristoteles [2]?

„Tragoedia" — philosophus ait — „est *πράξεωσ σπουδαίασ καὶ τελεί σ μίμησισ*, egregium autem exemplum poetis tragicis praebuit Homerus, ex quo optime potest disci quid sit fabulae argumentum bene cohaerens et vere unum. Nam alii poetae epici quaecunque Herculi vel Theseo acciderunt in carmina sua receperunt, satis bene haec cohaerere rati si unus idemque heros per singulas eorum partes celebraretur; at ille *Ὀδύσσειαν ποιῶν οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῶι συνέβη, οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῶι Παρνασσῶι, μανῆναι δὲ προσποιήσασθαι ἐν τῶι ἀγερμῶι, — ὧν οὐδὲν θατέρου γενομένου ἀναγκαῖον ἢ εἰκὸσ ἦν* [3] *θάτερον γενέσθαι, — ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν οἵαν λέγομεν* [4] *τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν.*"

Ex his verbis Payne Knight efficiebat Aristotelem non in Odyssea sed in alio carmine epico legisse quae Odyssea nostra habet de Ulixe in Parnasso vulnerato [5]; illic enim fuse narrari quomodo in Parnasso Ulixes iuvenis ab apro fuerit percussus, Aristotelem autem disertis verbis testari in Odyssea non celebrari Ulixem in

---

[1]) Repetuntur haec e Mnemosynes fasciculo 1° Octobr. 1906 edito.

[2]) Cf. Aristot. Poet. 8.

[3]) ἢ εἰκὸσ ἦν] ἢν εἰκὸσ codex unicus.

[4]) λεγομεν] λέγοιμεν codex.

[5]) τ 394—466.

Parnasso vulneratum. Quin ulterius etiam progressus Knight delebat *τὰ Νίπτρα* sive libri *τ* partem alteram [1]), veterum criticorum iudicium sequi se ratus. Quem deceperant obiter inspecta verba quaedam Eustathii [2]): „*Ὀδυσσεὺς οὐκ ἂν ἴσως δοκοίη σκέψασθαι καλῶς ὑπὸ τοιαύτης γυναικὸς τοὺς πόδας νίψασθαι, οἷα αἱρούμενός, φασι, τὴν δυναμένην ἐκ τῆς ἐπισήμου γνωρίσαι αὐτὸν οὐλῆς. διὸ καὶ ἀθετεῖται ὁ τοιοῦτος τόπος παρὰ τῶν παλαιῶν.*" Nam *ὁ τόπος* quem Eustathius dicit non tota sunt Niptra, sed soli versus tres [3]), quos damnabat Aristarchus.

Missa igitur Knightii infelici hac audacia id unum rogemus: sitne credibile, id quod ex Aristotelis verbis ille efficiebat, philosophum in Odyssea non legisse quae nunc de vulnere Ulixi in Parnasso aliquando inflicto narrantur. Hoc unum nunc perpendamus: priscone an recentiori alicui poetae versus illi debeantur, eam quaestionem ne moveamus nunc, utpote ab argumento in quo versamur alienam.

Responderi debet, veri dissimillimum, immo prorsus incredibile esse, post Aristotelis aetatem textum Odysseae magnopere mutatum talibusve incrementis auctum esse. Et unum certe e versibus a Knightio proscriptis „ex Homero" affert Plato [4]) — ubinam in Homero sibi lectum nisi eo loco ubi et nos eum legimus?

Ergone Aristotelem fefellit memoria? At minus etiam id credibile. Nam, ut in singulis verbis carminum epicorum memoriter afferendis errare potuerit et plus semel erraverit, at tantae carminis partis eum aliquando prorsus fuisse oblitum, — neque, si fuerit, a quovis discipulo illum errorem statim fuisse correctum, — id quis in animum sibi inducat!

Restat ut verba illa Aristotelis aliter interpretemur. Qui non vetat in dramate vel in carmine epico variarum rerum hic illic fieri mentionem, sed negat satis bene cohaerere opus poeticum, in quo secundum temporis ordinem enarrentur quaecunque uni alicui homini acciderint. Ulixes puer apud Laertem degens, dein vulneratus iuvenis, postea vesanum se simulans ne uxore relicta in Asiam proficisci cogatur, mox bellum illic gerens, tum post varios

---

[1]) *τ* 343—587.
[2]) Eust. 1867, 12.
[3]) *τ* 346—348.
[4]) Rep. 334*a*.

errores domum redux procos trucidans, tandem a filio sibi ignoto interfectus ipse, haec et si quid praeterea ille fecit aut perpessus est ordine enarrata *vitam* efficiunt, non artis opus integrum et solidum; non enim iusto vinculo inter se cohaerent. Non alterum ex altero profluxerunt, sed ita ut caecae fortunae libitum fuit alterum alteri successerunt. Talia sive soluta oratione sive ligata referre mythographi est potius quam poetae. Sed Homerus verum carmen condidit, e tanta materiei copia argumento feliciter electo; cecinit enim Ulixis *in patriam reditum*. Huic autem carmini suo loco inseruit quaecunque de rebus antea ab heroe gestis referre habuit operae pretium: puerum in horto cum patre ambulantem, Troiam callido eius consilio captam, varios multorum annorum errores, alia; et sic etiam iter illud Ulixis iuvenis ad avum, apud quem cum degeret a belua est vulneratus, in transitu apte enarrare potuit [1]. Sic in tragoediis actores inter se confabulando multa nos docent, quae ante fabulae initium acciderunt; qualia non partem aliquam ipsius dramatis efficiunt neque divellunt retardantve rem quae agitur, sed in transitu sive paucis verbis commemorata sive fusius enarrata suam utilitatem suumque decus habent.

Haec dicere voluit Aristoteles et debuit. Sed aut concisius locutus minus perspicue dixit id quod volebat, aut librariorum culpa hoc libelli loco, ut aliis permultis, vitiata sunt eius verba. Hoc equidem arbitror, textum ita explendum suspicatus:

'Οδύσσειαν γὰρ ποιῶν οὐχ <ἑξῆς> ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῶι συνέβη κτέ.

---

[1]) Cf. pag. 51 sq.

IV.

DE IUNONE TROIANIS INFESTA [1].

Saevam Iunonis ob iram expugnatum Ilium quis non dixit! Ex Iliade — nam Odyssea nihil habet quod ad hoc argumentum pertineat [2] — probe cognitos habemus Priamum eiusque cives ab illa dea odio internecivo petitos. Quae studio intentissimo plurimoque labore copias Argivorum collegit:

ϝίδροα γὰρ ’ϝίδρωσε μόγωι, ’καμέτην δέ ϝοι ἵππω
λαὸν ἀγειρούσηι, Πριάμωι κακὰ τοῖό τε παισί [3].

Dein in ora longinqua versantes tuetur; *κήδεται αὐτῶν ὅτε ὁρᾶι θνήισκοντας* [4] nec non cum rixantur duces [5]. Ceteris dis postquam persuasit ut dirui sinerent urbem ipsi invisam [6], claro clamore in pugnam vocat exercitum, qui ipsa praeside in Asiam traiecit [7]. In eo cum est res ut dux Troianorum evadat superior, furore percita solium suum ipsumque Olympum tremefacit [8], mox curru conscenso suis auxilium latura advolat, nec nisi vi coacta et invita recedit [9]. Palam Argivis succurrere vetita clam opitulatur, armis usa muliebribus, amoris enim illecebris pellicit Iovem; qui dum in eius amplexu iacet alto somno consopitus, Argivi denuo fiunt superiores.

Nihil igitur relinquit intentatum, strenue semper illum quem ante oculos habet finem appetens, vel crudos si possit Priamum

---

1) Primum prodiit in Mnemosyne, 1° Iul. 1906.

2) In annotatione tamen indicatus esto versus *δ* 513, ubi Agamemnonem incolumem in patriam reduxisse Iuno dicitur.

3) *Δ* 27 sq. 4) *Α* 55. 5) *Α* 195 sq. 6) *Δ* 14—64.

7) *Ε* 784 sqq. 8) *Θ* 198—211. 9) *Θ* 350 sqq.

eiusque prolem devoratura [1]), ne defunctis quidem mitior quam erga vivos [2]).

Cur Troianis adeo fuit infensa?

Non dicitur id apud Homerum nisi uno loco, ubi de Paride haec sunt tradita:

'νείκεσσε θεάσ, ὅτε ϝοι μέσσαυλον ἵκοντο,
τὴν δ' ηἵνεσσ' ἡ Ϝοι 'πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν [3]),

neque ibi admodum aperte; recte tamen ad Paridis iudicium rettulisse hos versus videtur Aristarchus et eam ob causam damnasse. Nam iudicium illud poeta Iliadis aut ignoravit aut sprevit. Cui fabulae si quid tribuisset, non poterat de ea tacere crebris locis ubi Veneris erga Troianos studium, Iunonis et Minervae in eos odium celebravit. Hos autem versus si neglegimus, neque Paridis iudicium ullo Iliadis Odysseaeve loco commemoratur, neque alia odii tam immanis causa apud Homerum indicatur, nedum apertis verbis enarretur.

Est quod primo adspectu miretur quispiam: simplex tamen et aperta est rei causa. Non dixit poeta id quod per se intellegi putavit, id quod obscurum fore cuiquam ne suspicatus quidem est. Poteratne ille dubitare quin pro sua gente pugnarent hinc dea Argivorum, illinc numen tutelare Troianorum?

„πῶσ δὴ ἐγώ γε
οὐκ ὄφελον Τρώεσσι κοτεσσαμένη κακὰ ῥάψαι;"

rogantem fecit Iunonem [4]): — dea Argiva cur faveret Argivis, cur odio inexpiabili insectaretur Argivorum hostes, eratne dicendum? [5]).

Nec ab omni parte vera modo perhibebam, cum odii causam in carminibus Homericis latere dixi; nam cum re ipsam rei causam Iuppiter in coetu deorum hisce verbis prolocutus est: „*Menelao duae deae opitulantur,*

Ἥρη τ' Ἀργείη καὶ Ἀλαλκομενηῒσ Ἀθήνη" [6]).

Argivis adfuit Iuno *utpote Argiva*, et similis causa inest epitheto

[1]) Δ 25 sq. [2]) Ω 25.
[3]) Ω 29 sq. [4]) Σ 364.
[5]) „Hera, die Göttin von Argos, ist natürlich [in der Urilias] die Schützerin des Herren von Argos" (Robert, Studien zur Ilias p. 351).
[6]) Δ 8.

Minervae deae Boeotiae, similis causa Neptunum Troianis reddidit infestum.

Sed neque de Minerva neque de Neptuno nunc disputamus, de quibus id unum observatum esto, minime obscurum videri quam ob causam Iovem vincire aliquando voluerint

Ἥρη τ' ἠδὲ Ποσειδάων καὶ Παλλὰσ Ἀθήνη [1]),

qua occasione Iuppiter Thetidis opera servatus esse dicitur. Quod Thetidis auxilium a poeta nostro fictum esse, ut Thetis iure suo gratiam ab Iove reposcere posset, fuerunt qui sibi persuaderent [2]). Equidem non tales novi poetas epicos, et facilius sequar Berardum nihil omnino eos finxisse [3]) sed accepta refinxisse et exornasse perhibentem, quam eos qui talia pro re nata ab iis excogitata esse arbitrentur.

Non quo Berardo ex asse adstipuler! nimis enim angustis finibus ille artem vatum epicorum aut circumscripsit aut circumscripsisse videtur. Qui si id tantum dicere voluit non *de nihilo* ficta esse illorum inventa, sed aliquem prius adfuisse nucleum circum quem concrescerent, id contendit de poetis Graecis quod de omnibus omnium temporum gentiumque poetis valuit semper et valebit.

Manet igitur quaestio quam movebamus: cur Iuno Minerva Neptunus Iovem in vincula coniciendi inierunt consilium? In promptu autem est quod respondeamus: dei qui in Troiae perniciem conspirabant tutelarem huius urbis deum vincire sunt conati.

Nam Troiae deus tutelaris fuit Iuppiter:

ὅσσαι ὑπ' ἠελίωι τε καὶ οὐρανῶι ἀστερόεντι
ναιετάουσι πόληεσ ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
τάων ϝοι περὶ κῆρι 'τιέσκετο Ϝίλιοσ ἱρὴ
καὶ Πρίαμοσ καὶ λαὸσ ἐϋμμελίησ Πριάμοιο [4]).

In Iliade leguntur versus quos attuli; non tamen Iliadem nunc

---

[1]) *Α* 400, ubi mire turbatur prisci carminis ratio lectione Zenodoti, Minervae substituentis Apollinem. Cf. etiam *Ω* 25 sq.

[2]) „Das Streben nach einer sorgsamen ... Motivierung hat den Dichter ... offen- „bar über die Schranken der Volkssage hinausgetrieben ... Den Einfluss der Thetis „auf Zeus erklärt er duch eine frühere Errettung desselben aus einem Götteraufstand, „... eine homerische Modificierung des Aufstandes der Titanen" (E. H. Meyer Achilleis p. 20).

[3]) „Ils n'inventent rien" (V. Bérard, les Phéniciens et l'Odyssée).

[4]) *Δ* 44 sqq.

cogito, sed carmina antiquiora. Quamquam et in ipsa Iliade id quod aio claris verbis hic illic dicitur. In Gargaro Idae montis cacumine Iovi sunt *τέμενοσ βωμόσ τε θυείεισ* [1]); plurimae et illic et in ipsa Troia urbe ei mactantur victimae [2]); ex illo monte *ὑψίζυγοσ, αἰθέρι ναίων* [3]) adspicit Troianos cum hostibus dimicantes et consilio suo eos adiuvat [4]), *μεγάλα κτυπέων, δαιόμενον δὲ σέλασ ἱεὶσ μετὰ λαὸν Ἀχαιῶν* [5]); adversa autem fortuna cum a Troianis pugnatur, Hectorem Iovi *ἐξ ἄκρησ πόλιοσ χεῖρασ ἀνασχεῖν* velle suspicatur Hecuba [6]).

Ille igitur deus — *Iovem* dicere consuevimus, sed nomine *sedis* potius quam proprio nunc est indicandus, — ille igitur deus, qui in *Ida* Phrygiae monte colitur, *εἴτε Ζεὺσ εἴθ' ὅπωσ δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενοσ*, favet suae regioni suaeque genti: pater Idaeus prolem suam omnibus viribus intentissimoque studio tuetur. Quapropter Argivorum horumque sociorum dei tutelares vincire eum sunt conati; postea Iuno in ipso monte Ida callida fraude circumventum aliquantisper detinuit quem antea catenis frustra fuerat adorta.

Prolem dei Idaei modo dicebamus Troianos: Dardanus certe, gentis genitor, ex eo satus fuit [7]), et Ganymedes Trois filius ei lectus est pincerna [8]). Etiam fortissimi urbis defensores Hector et Sarpedon Iovis dicti sunt filii. Et de Sarpedone quidem plura dicere inutile, nam certa et aperta est res ubi lacrimis sanguineis filii caedem deflet pater:

„*αἱματοέσσασ δὲ ψιάδασ κατέχευεν ἔραζε*
παῖδα φίλον τίων" [9]).

Hector autem licet in Iliade nostra Priamides audiat et in patris habitet regia, non tamen oblitterata sunt omnia vetustioris fabulae vestigia, sed *καὶ τυφλῷ δῆλα* cernuntur in hisce versibus:

„*λυσσώδησ φλογὶ ϝείκελοσ ἡγεμονεύει*
Ἕκτωρ, ὃσ Διὸσ εὔχετ' ἐρισθένεοσ πάϊσ εἶναι" [10]),

---

1) Θ 48. 2) Χ 168—172.

3) Δ 166 Η 69 Δ 544 Σ 185. *Troianum* hoc est numen. Admodum autem notabilis est horum locorum primus, ubi Agamemnon claris verbis dicit Iovem Troianis favere, „at" pergit „*erit cum iis αὐτὸσ ἐπισσείῃσιν ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσι τῆσδ' ἀπάτησ κοτέων*". Certa demum postquam intercessit causa, Iovem iis infensum sibi fingit Agamemnon; nunc „ipsum Iovem eos poena affecturum" ait.

4) Λ 186—194 Μ 174 Ο 59 sqq. al.

5) Θ 75 sq. 6) Ζ 257. 7) Υ 215, 304.

8) Υ 233—235. 9) Π 447, 459 sq.

10) Ν 53 sq. — Ipse vero Iliadis poeta: *Ἕκτωρ οὔτε θεᾶσ υἱὸσ φίλοσ οὔτε θεοῖο* (Κ 50)

et: „*ut boves a leone sanguinis avido,*

ὣσ τότ' Ἀχαιοὶ

θεσπεσίωσ ἐφόβηθεν ὑφ' Ἕκτορι καὶ Διὶ πατρί" [1]).

Hic ἐνδέξια σήματα φαίνει Troianis, Hector autem πίσυνοσ Διὶ hostes adoritur [2]), eius copiae τεθαρσήκασιν ἐπεὶ μάλα Ϝιλίου εὐρύϝοπα Ζεὺσ χεῖρ' ὑπερέχει [3]). Neque admirationem movent huiuscemodi versus, quantumvis ab aliis Iliadis partibus discrepantes; nam aliter fingi primitus vix potuit fabula nisi sic, ut bellator ille, ὃσ οἶοσ ἐρύετο Ϝίλιον ἱρήν, diceretur filius dei τοῦ ῥυσιπτόλιοσ. Ipse Hector deus olim fuisse videtur, hostes ab urbe sua propulsans [4]); sed in carminibus epicis quoniam certant heroes, non numina, haec quaestio procul nunc est habenda, et sufficit perspexisse temporis vetusti aliquam in verbis allatis superesse memoriam. Etiam ex Hectoris ore sic gloriantis:

„αἲ γὰρ ἐγὼν οὕτω γε Διὸσ πάϊσ αἰγιόχοιο
εἴην ἤματα πάντα . . .
ὣσ νῦν ἡμέρη ἥδε κακὸν φέρει Ἀργείοισι" [5])

fabulae priscae percipitur echo, non clara quidem, sed tamen talis ut agnoscatur. Diversa autem inter se coniungens Iliadis poeta:

„Ζεὺσ μὲν ἄρα Τρώεσσι καὶ Ἕκτορι 'βούλετο νίκην
κυδαίνων Ἀχιλῆα πόδασ ταχύν" [6]).

Nam contaminantis est ita rationem reddere rei quae olim nihilo magis explicationem requirere visa erat quam Aeneas a matre Venere defensus vel Achilli favens Thetis.

Tria igitur numina: Iuppiter Idaeus, Apollo, Venus, Troiam tuentur. Quibuscum congruunt trium *tribuum* nomina: Τρῶεσ καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι [7]), tria nomina *loci*: *Troia*, *Pergamum* Troiae arx, *Dardania* Troiae metropolis [8]), plurium autem bellorum memoriam in unum confluxisse apparet; et fortasse ipsa Troiae rudera, quae urbem plus semel incendio deletam testantur, originem ostendunt priscarum fabularum saepius petitam et captam ferentium [9]).

---

1) *O* 636 sq. 2) *I* 236 sq. 3) *I* 419 sq.
4) *Ἀπόλλων ἕκτωρ.* 5) *N* 825 sqq. 6) *N* 347 sq.
7) *Θ* 173 al. — *Troes* igitur et Hector *Iovem* numen sibi habent propitium, *Lycii* et Pandarus *Apollinem*, *Dardani* et Aeneas *Venerem*.
8) Cf. *Y* 216 sq. — *Ilium* urbis nomen et *Minervam* Ilii patronam nunc mitto.
9) Laomedontis urbem dico ab Hercule expugnatam et Telephum ab Achille victum.

Sed haec, quae partim nimis incerta partim a nostro argumento aliena sunt, nunc mittimus, id unum tenentes quod manifestum est: ut primum Argivi regionem Idaeam infestarint, numen Argivum necessario infestum fuisse numini Idaeo, sive Iovi Iunonem, ut cum Iliadis poeta loquamur.

At alium Iovem norant fabulae Thessalicae: illum qui in *Olympi* montis vertice sedem habebat. Norant et tertium *Dodonaeum* [1]), qui uxorem habuit *Dionen*, et in ea Iliadis parte, ubi Venus a Diomede vulnerata confugit ad matrem Dionen in sedem caelestem, haud difficulter agnoscitur [2]). *Olympii* vero *Iovis uxor* passim ab Iliadis poeta dicitur *Iuno* illa, quae Iovem *Idaeum* habet adversarium.

En igitur a se ipsa discordans dea et ipse sibi infestus Iuppiter: — quid mirum quod coniuges illos inter se discordes pinxit epos! Quid mirum quod Iuno maritum

„*αἰὲν ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι*
νεικείει καὶ φησὶ μάχηι Τρώεσσιν ἀρήγειν"! [3]).

Ab Achillis Achivorumque partibus stat *ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης Ὀλύμπιος*, a parte Troianorum *πατὴρ Ἰδαῖος*. Hectori eiusque patri caelesti nunquam non insidiatur *πότνια* illa *Βοῶπις*, at eadem *Ζηνὸς ἐν ἀγκοίνηισιν ἰαύειν* dicitur [4]), est enim *Διὸς κασιγνήτη τ' ἄλοχός τε*.

Quapropter in Iliade profertur causa sollerter excogitata ad id explicandum quod quin necessario fieri debuisset prisci cantores ne dubitaverant quidem. Iuppiter Idaeus cur Troianis favisset olim nemo rogaverat, at in Olympo eundem habitantem Iunonis uxoris causam tueri Achillique favere censet poeta noster: certa igitur causa debuit intercedere ut in partes adversas aliquantisper pertraheretur. Iamque regum illa rixa Thetidisque preces efficiunt ut Achilli Achivorum duci benevolum se ostendat Iuppiter . . . Achivos occidendo.

Neque quod de *Apolline* modo diximus omnino verum est. Qui deus in *Pergamo* arce habitans [5]) non potuit non succensere hosti-

[1]) Cf. *Π* 238.
[2]) *E* 370 sqq.
[3]) *Δ* 518 sq.
[4]) *Ξ* 213.
[5]) Pergami nomen apud Homerum rarius et Apollinis potissimum ratione habita usurpatum invenitur.

bus urbem suam oppugnantibus: et tamen in Iliade non nisi certam ob causam telis eos aggressus dicitur, mox precibus flexus iis pepercisse, idem tamen Hectorem Troianosque mox in Achivorum aciem incitans et intra ipsa eorum castra ducens. Nempe *Apollo Olympius* Achivis amicus fuit nisi ab ipsis laederetur, *Apollo Troianus* semper infestus et etiamsi creberrimis hostiis propitiaretur neque quicquam adversus eum delinquerent hostes praeter id unum quod bellum ipsius genti inferrent, ab ora suae regionis eos repulsurus. *Iovis Olympii filius* ut sagittis peteret exercitum, cui praeessent Achilles et Atridae Iovi huiusque uxori carissimi, qui ab ipsius sacerdote Calchante eo deductus esset, alius sacerdotis laesi querelis debuit permoveri: *deus indigena* hostes vel sua sponte arcebat. Potuit ab advenarum numinibus potentioribus superari, quemadmodum in theomachia, ubi argumento vetusto minus feliciter poeta est usus, revera cedit Neptuno „patrueli" [1]), sed donec licuit, malum ab urbe sua propulsavit. Leto dedit Patroclum, ipsum dedit Achillem: Hectorem servasset, nisi in fatis fuisset ut deleretur Ilium sacrum et Priamus et Priami gens bellicosa.

Quippe cum fabula, quae erat de bello Troiano, concrevit alia, qua celebratur iuvenis navi petens regionem longinquam. *Iasonem* hunc voca: propitiam sibi habet *Iunonem* [2]). *Achillem* dic eundem, — sunt enim simillima sibi et fere consimilia quae de utroque inter gentem Thessalam sunt narrata: — fautrix ei est *Minerva*, mater *Thetis*. Praeterea propitium sibi habet deum in vertice Olympi montis habitantem, qui fulmina torquet nubibus abditus, nutuque ipsum montem percellit. Propriumne requiritur huius dei nomen? Non requirebant fortasse qui unum deum, suum deum, colebant; sed requirebant posteri, requirebat ipse poeta [3]), nos cum iis requirimus: *Iovem* igitur dicamus celsum illum hominumque deumque patrem. Hic Achillem diligit et tuetur [4]), hostibus igitur Achillis infestus, ut Menelai hostibus Iuno.

---

[1]) Cf. Φ 469. [2]) *μ* 72.

[3]) Nec tamen semper requirebat, saepe enim in Iliade solo sedis suae nomine designatus vocatur *Ὀλύμπιοσ*.

[4]) Cf. Achillis epitheton *Διὶ φίλοσ* et *Τ* 342 sq.

In fabula Thessala cur deus pater eiusque uxor inter se discordarent non erat causa; immo qui coniuges eos finxerunt, finxere concordes, rixantes fingere ne poterant quidem, quoniam eam solam ob causam sociabantur quod viventia quaevis in lucem protulisset eorum amor: Iovis *ἄλοχοσ φίλη* iis fuit Iuno [1]. Iurgia illa et minae et insidiae, Iuno maritum ligare conata, ab ipso in aëre suspensa crudelique supplicio affecta et quaecunque Xenophanes aliique philosophi gravibus verbis postea improbarunt, debentur aevo quo contaminatae sunt fabulae diversae.

Etiam *sororem* Iovis Iunonem saepius dixit Iliadis poeta, *Saturni proles* ei audiunt ambo. Sed Patri hominumque deumque prisci homines patrem non tribuerunt. Vox *Κρονίων* sive *Κρονίδησ* sive cum *Κάρνου Καρνείου* dei vetusti nomine cohaeret sive aliam habet originem [2], *patronymicum* certe primitus non fuit, sed *epitheton*, ut *κυλλοποδίων, ἰθυπτίων, οὐρανίων, Ὑπερίων*, et Iuno *soror* Iovis dici coepta est diu postquam eius *uxor* est habita.

Quam mire autem fabulae, quae inter gentes varias ferebantur, in carminibus epicis sint permixtae contaminatae conglutinatae, luculentissime apparet in Iliadis ea parte, quae *Διὸσ ἀπάτη* vocatur. Nempe splendidos versus, quibus olim celebratus fuit Pater caelestis cum Terra Matre congressus, Iliadis poeta recepit in eum locum ubi *Idam* montem petit Iuno *Olympia* eo consilio ut *coniugem* suum, item Olympium, quocum habitat vivitque, qui paucis horis ante eius cubile reliquit, . . . ad amores furtivos pelliciat. Solve telam carminis, quod *στήμονι ἐν πανύρωι πολλὴν κρόκα* habet insertam, — ad Musam epicam dic: „ὦ φίλη, λίαν σπαθᾶισ!" — neglige nomina propria et deum Idaeum dic a dea Argiva deceptum: — habes fabulam haudquaquam ratione carentem: dea Argiva ut suis victoriam pararet, vel sui ipsius copiam fecit deo hostium, armisque muliebribus certans eum superavit.

Post Homerum Iliadem scribere velle in proverbio est. Non minus inepta molientis fuerit enarranda sibi sumere quae carmina

[1]) *O* 156. — Nolim cum Roschero (Lex Myth. I 2105) Iunonis zelotypiam ex aevi heroici moribus repetere. Neque enim eiusmodi novi aevi heroici mores, neque *zelotypa* dicenda videtur Iuno Homerica, sed *Troianis infesta* eamque ob causam identidem de urbis sorte cum Iove verbis disceptans.

[2]) Ad *κραίνειν* refert M. Breal, *dominum* (*le maître*) interpretatus.

Homero antiquiora habuerint. Carmina de bello Troiano, in quibus Iuno non uxor esset Iovis sed adversaria, quem ambitum, quale exordium, quemnam finem habuerint, quis dicat! Suspicari possumus multa, et plurima suspicati sunt plurimi, demonstrari aut nihil potest aut paene nihil. At tamen Iliadem legentibus mente semper tenendum est: et fortes viros vixisse ante Agamemnonem et poetas epicos fuisse ante vatem illum, cuius ad nos pervenit carmen. Ἀποριῶν quas praebent Ilias et Odyssea petenda est λύσισ e mythis aevo epico antiquioribus:

— Helena Διὸσ ἐκγεγαυῖα cur dicitur? — Quia lucis dea fuit primitus.

— Ulixes per secures duodecim telum traiecisse cur dicitur? — Quia olim fuit deus sagittarius. — Cubiculo olivam cur inclusisse? — Quia deae uxori oliva fuit sacra.

— Circa initium Iliadis naves in littore stantes cur singulis ducibus ἕπεσθαι dicuntur? — Quia e carmine classem in Asiam profecturam celebranti haec sunt desumta.

— Aiax cur stans in navi Protesilai conto praelongo repellit hostes ignem classi inferentes? — Quia adumbrata haec sunt ad carmen antiquius, quo pingebantur Achivi ad Troadis oram appellentes et Protesilaus ab hostibus caesus. Brasidae igitur Pyli oram adorto vel Caesari oram Britanniae [1]) illic Aiax olim fuit similis.

— Neptunus Olympo monte relicto planitiem Troianam visurus cur Samothracen, dein mira ambage usus Aegas marisque fundum adit, inde curru Troadis petit littus? — Quia olim deus ille fuit γαιήϝοχοσ ἐνοσίγαιοσ, cuius sub incessu tremunt saxa et nemora, Iliadis vero poetae marinus, equis per aequora vectus.

— Iuppiter Troianis cur parat exitium, idem iis favens? — Quia uno in pectore aestuant animi duo, numinis Olympii et Idaei; unus deus dicitur, revera sunt duo [2]).

— Iuno denique cur audit βοῶπισ? — Quia sub vaccae specie olim fuit culta. — Et marito cur perpetuo adversatur? — Quia primitus non uxor eius fuit sed inimica implacabilis.

---

[1]) Thuc. IV 11 Caes Bell. Gall. IV 25.

[2]) Idem nimirum numen, sed a duabus gentibus inter se hostilibus cultum.

V.

HELENAE ENCOMIUM [1]).

„Non humilis mulier!"

Horatii haec verba annis abhinc quadraginta scripsit Adolphus Stahr in fronte libri quo Cleopatrae famam ab obtrectantium malitia splendide defendit. Aequius nimirum de Aegypti regina iudicavit poeta Romanus quam alii multi inter eius aequales.

Eadem verba praemitto equidem huic commentariolo. Non humilis mulier sed *Διὸσ ἐκγεγανῖα* fuit Helena illa, ob quam Europa cum Asia olim conflixit. Talis pingitur in Iliade et in Odyssea.

At eheu, quantum mutatam sero nati poetae impune prosciderunt! Impune? . . . Immo ita eos ulta est Iovis filia ut olim Stesichorum. Nam in plena vetustae poesis luce caecutiunt neque cernunt illam quam carmina epica exhibent Menelai uxorem. Ipsum adeo epos Homericum eos latet: caecutiunt! Nisi autem calumniatores se agnoverint et *„οὐκ ἔστ' ἔτυμοσ λόγοσ οὗτοσ!"* ex animi sententia cum Stesichoro clamaverint, visum non sunt recuperaturi, sed pergent ignorare divinam illam prolis caelestis formam, *ἀχλύοσ τοῖσ ὀφθαλμοῖσ ἐπούσησ.*

Nam INSONTEM Helenam celebravit priscum epos.

Id quod haud inutile fortasse fuerit etiamnunc exposuisse.

Opus gratissimum aggressuri mittimus mythum antiquissimum, cui non mulier terrestris fuit Helena. In arce caelesti abditam

---

[1]) Repetitum ex eo Mnemosynes fasciculo qui 1° April. 1906 est emissus.

non norunt quae ad nos pervenerunt Graecorum carmina, licet aevi prioris vestigium aliquod etiam servet epitheton illud „*Διὸσ ἐκγεγαυῖα.*" Divinae quidem stirpis divinaeque formae Homero est Helena, sed mulier, non dea; in terra degit, non in aethere: moenibus Troiae, non nubibus conglobatis inclusa est.

Est igitur poetis epicis id quod formosissima et nobilissima quaeque iis fuit mulier. Puellas *ἀλφεσιβοίασ* a procis certatim expetitas patres ingentibus *ἐϝέδνοισι* vendebant ei *ὃσ πλεῖστα πόροι.* Novo igitur marito pars opum longe pretiosissima exinde futura erat uxor, et Protesilaus aliquis vel Iphidamas cum nuper initis nuptiis bello absumitur, poeta miseratur adolescentem, qui frustra tam multa impenderit:

οὐ γὰρ ἐϝῆσ ἀλόχοιο χάριν 'ϝίδε· πολλὰ δ' ἔδωκε!

Itaque etiam ad Tyndareum tunc, cum nubilis fuit eius filia formosissima, undique convenerunt proci,

πολλὰ δ' ἔϝεδν' ἔδιδον, μέγα γὰρ κλέοσ ἦσκε γυναικόσ.

Aere, auro, pretiosissimis quibusque donis oblatis eum sollicitarunt; nam quivis optabat

Ἀργεΐησ Ἑλένησ πόσισ ἔμμεναι ἠϋκόμοιο.

Emit autem eam Menelaus, is enim

κτήνεσσιν Ἀχαιῶν φέρτατοσ ἦεν [1]),

et domum abductam ut thesaurum longe pretiosissimum servavit fovitque. Beatum se sensit maritus ille, cui postea vita perpetua in Elysio est concessa, utpote Iovis genero [2]).

Venit praedo Troianus, qui hospitio magnifice acceptus [3]) mox Menelao absente [4]) Helenam *καὶ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῆι* [5]) abripuit, nihil curans feminae *ὁρμήματά τε στοναχάσ τε,* clamores stridulos iramque impotentem [6]). Frustra illa clamavit: nullus erat maritus qui eius

---

[1]) Cf. Hesiodi fr. 94 (e papyro Berolinensi 9739).

[2]) *δ* 561 sqq.

[3]) *Γ* 354.

[4]) Sic certe Cypria. Tacent ea de re Ilias et Odyssea, sed per se id intellegitur; nam maritus si adfuisset, fieri non poterat quin tutaretur uxorem. Et cf. *Ν* 626 sq. nec non *Γ* 232 sq.

[5]) *Γ* 70–72, 255, 458 alibi.

[6]) *Β* 356, 590. Quae verba quod „*luctum cuius causa extiterit Helena*" interpretatus est Aristarchus, patet eius quoque menti firmiter inhaesisse illam de Helenae culpa opinionem et plus valuisse quam interiorem qua praepollebat dictionis Homericae scientiam.

βοῆσ τε καὶ ἑλκηθμοῖο πύθοιτο [1]. Incolumis Paris cum praeda sua pervenit in patriam.

At mox is quem spoliaverat Menelaus Troiam venit ad res repetundas, Ulixe adsumto legationis socio [2]. Reddi iussit quae vi et mala fraude Paris detraxerat; cui si aequa petenti Troiani obtemperassent, opibus et uxore recuperatis laetus contentusque rediturus erat. Sed Paridis sententia auxilio Veneris superbientis et amore occaecati in Troianorum senatu superior fuit, itaque legati re non impetrata Priamo bellum indixere, dein Atridae copiis collectis Troadem invaserunt.

Interim Helena degebat in Paridis aedibus — huius iam facta *ἄλοχοσ*, non *κουριδίη* quidem, utpote aliis prius initis nuptiis, iusta tamen et honorata [3]. Levirum iam habebat Hectorem, socerum Priamum, glorem Laodicen, ianitricem Andromacham, nec quisquam in aula Priami tam fuit iniquus ut mulieri succenseret immerenti. „*Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσί*" Priami ad eam sunt verba [4]; Hector quoque, quantumvis Paridi iratus, Helenae tamen benevolum se praestabat [5]. Sed in peregrinae regiae illo splendore misera mulier desiderabat

πρότερόν τε πόσιν πηούσ τε φίλουσ τε [6].

Corpus Lacedaemone avellere potuerat latro perfidus, animum non potuerat: *κλαίουσα ἐτετήκει* [7].

Adsunt tandem amici. Volat in moenia, dum in acie extra urbem versatur novus eius dominus Paris. Cernit Agamemnonem, Aiacem, ceteros, ipsum cernit Menelaum: adsunt qui ad eam liberandam venerunt! Spe elata prospicit, . . . at e pugna singulari, qua de sorte sua decretum iri audivit, incolumis redit is quem iustam sceleris poenam hodie luiturum speraverat.

„*ἤλυθεσ ἐκ πολέμοἰ; ὡσ ὤφελεσ αὐτόθ᾽ ὀλέσθαι*
ἀνδρὶ δαμεὶσ κρατερῶι, ὃσ ἐμὸσ πρότεροσ πόσισ ἦεν!" [8]

---

[1] De Andromacha dicta haec verba (*Z* 465) hic affero, quoniam ad versus modo e libro *B* allatos recte interpretandos sunt utilia.

[2] *Γ* 205 sqq. *Λ* 140.

[3] *Γ* 329 *Ω* 763 al.

[4] *Γ* 164. Praeterea cf. *Γ* 130 et *Ω* 770.

[5] *Ω* 767.

[6] *Γ* 140, 163.

[7] *Γ* 176. Cf. etiam *Z* 345 sqq. *Ω* 764.

[8] *Γ* 428 sq. — Mulierem inter amorem recentem et priorem vacillantem agnoscere hoc loco sibi videbatur Nagelsbach!

his verbis Paridem increpat, postquam ab ipsa Venere minis compulsa in eius aedes rediit invita et magis etiam quam antea eum exosa [1]).

Saevit iam bellum circa moenia Troiae. Cecidit optimus quisque Graecorum, cecidit Troum; mortui sunt Patroclus et Achilles, mortuus est Hector, et ipse mortuus est Paris. Tandem callida fraude, non vi aperta urbem tentare placet; struitur equus ligneus, et interim Ulixes habitu mendici sumto speculator in urbem penetrat, simul ad Helenam salutis mox affuturae nuntium perlaturus. Una Helena eum agnoscit, et postquam clam ceteris ab eo interrogata iuravit fidum etiamnunc sibi erga suos esse animum, non prodituram igitur Troianis Achivorum consilia, omnia ex eo audit [2]).

Incolumis postquam Ulixes ad suos in castra rediit, ingens ille equus struitur et a Troianis dementibus intra moenia recipitur. Iamque stat urbis loco edito; vidit eum Helena, scit quid alvo capaci celet, et gaudio mentem occaecante ipsoque numine impellente vesperi per caliginem incautius illuc properat vera femina, solam se rata nimirum. Reges intus latitantes nominatim vocat singulos. At non erat sola, — proximus stabat Deiphobus clam secutus, et nisi Ulixes ea qua ceteros mortales superabat prudentia usus sodales cum ipso inclusos retinuisset quominus Helenae responderent, detecta erat fraus et equo a Troianis diruto occidissent insidiatores. Nunc Ulixis illa cautela effecit ut in cassum caderet consilium quod numen Troiae tutelare ad urbem etiam servandam inierat ultimum: fraudem non aperuit temeritas feminea, Deiphobus delirare eam arbitratus est, mox abduxit eam Minerva Ulixis patrona [3]). Illa nocte capta est Troia et diruta, mox Menelaus cum Helena domum rediit, et post iter diuturnum, quo etiam in Aegyptum pervenerunt [4]), in patriam redux Spartae regnavit, beatus denuo uxoris honoratissimae maritus.

Quam potui brevissime enarravi quae de Helena referuntur in Iliade et Odyssea: non partes aliquas utriusque carminis dico,

---

[1]) Cf. Z 345—353.

[2]) δ 244—256. Item Parva Ilias.

[3]) δ 271—289.

[4]) δ 125—130, 228—230, 351 sqq.

sed totam Iliadem totamque Odysseam [1]. Ad sua recuperanda in Troadem venit Menelaus: sua postquam recuperavit laetus in patriam rediit. Honorem autem laesum neque ante urbem captam est questus, neque etiam laesum putavit cum denuo Helenam suam tenuit; *κτήμαϑ' ἑλὼν ἐῢ πάντα γυναῖκά τε ϝοίκαδ' ἀπῆλθε* — quid plura! Sic poculum aliquod pretiosissimum si fraude sibi surreptum recuperasset, non minus libenter quam antea in conviviis usurpaturus erat, etiamsi furem aliquantisper eo usum compertum habuisset.

Scilicet heroico illo aevo mulier res erat, quae pretio emebatur, mercimonium in paucis quidem pretiosum, mercimonium tamen, *κτῆμά τι*, cui suum perstabat pretium dum detrimentum non caperet.

At turpis illa adultera ubi est?

Neque ipsa usquam comparuit, neque vir fidem coniugalem laesam ulturus. Scelesta non fuit Helena, neque ea cui Menelaus eiusve socii succenserent. Salutem ei attulit maritus, non cum minis strictove gladio eam invasit inter Ilii ruentis incendia.

Sed quae refulgent denigrare saeculum est.

Non noluisse se abripi Helenam, gratam esse vim istam . . . non puellis solis sed et feminis nuptis, suspicatum est aevum recentius nimisque callidum, cum praesertim sensim percrebruisset opinio illa, de qua supra disputavimus, per annos complures ante Troiam bellatum et Helenam illic commoratam esse. Itaque „*μετὰ τὴν μεῖξιν τὰ πλεῖστα κτήματα ἐνθεμένουσ νυκτὸσ ἀποπλέοντασ*" Paridem et Helenam ostendebat carmen *τὰ Κύπρια* [2]), et fatuus iam visus est Menelaus ille, qui laetus suam nec iam suam uxorem domum tandem reduxisset post diuturnos amores peregre transactos: „*σωφρόνων γὰρ ἀνδρῶν ἔργον εἶναι τὸ ἁρπασθεισῶν γυναικῶν μηδεμίαν ὤρην ἔχειν, δῆλα γὰρ δὴ εἶναι ὅτι εἰ μὴ αὐταὶ ἐβούλοντο, οὐκ ἂν ἡρπάζοντο*" [3]).

Itaque fuit qui fingeret capta urbe iratum in eam irruisse mari-

---

[1]) Dissimillima habet Ebelingi Lexicon Homericum s. v. *'Ελένη*: „. . . Paris eam abduxit volentem Γ 174 δ 261; . . . decimo belli anno ab Iride accita de muro urbis prospectat exercitum Graecorum Γ 120; . . . etiam post ea operam dedit ut Graecos deciperet δ 261; . . . Graecos ligneo equo inclusos fraude in summum discriminis adduxit δ 290 . . ."

[2]) Proclus in Chrestomathia.

[3]) Herodot. I 4.

tum, sed niveo pectore adspecto cum telo abiecisse ultionis consilium et precibus victum cum pristina uxore in gratiam rediisse. Parvae Iliadis et Ibyci hanc Helenam novimus ex Euripide et e compluribus artis etiam rudioris imaginibus [1]).

Alii contra exorti sunt qui famae filiae Iovis consulendum rati non veram Helenam sed fictam aliquam a Paride abductam esse comminiscerentur: Menelaus eiusque socii dum Troiam oppugnabant, in Aegypto eius uxorem puram intactamque latitasse, inde post bellum finitum in patriam ab eo reductam esse. Haec fuit ἡ καινὴ ἐκείνη Ἑλένη Stesichori, quam ex Herodoto [2]) et praesertim ex Euripidis dramate satis habemus cognitam, — non fuit illa quam carmine celebraverat Homerus. Hic non de larva nescio qua sed de vera divinaque muliere heroes pugnantes ostenderat.

Exinde inter homines disputatum est sonsne an insons fuisset uxor Menelai, moechane an praeda invita, et argumentum aptum declamationum Gorgiae Isocrati Polycrati Anaximeni aliis praebere est visa. Ad quam collaudandam si quis olim surrexisset, „at quis eam culpat!" rogavissent audientes, ut Spartiata ille Herculis laudationem deprecans. Latius vero accusantium semper resonuit vox quam defendentium, quoniam maior erat auctoritas Homeri, qui ipsam, quam Stesichori, qui fallacem aliquam eius imaginem inter Troianos commoratam ferebat. Et sic Helena in scena Euripidea et apud posteros abiit in impuram illam adulteram, cuius scelus ferro ignique Asiam commiscuisset, belli internecivi causa taeterrima.

Et tamen ad tantum dedecus diluendum non sophistarum aliqua artificia recentiorumve poetarum inventa ingeniosiora quam probabiliora requirebantur, sed plane sufficiebant accurate lecta illa carmina Homerica, quae cultissimus quisque veterum memoriter tenebat tota. Helenam sponte patriam reliquisse a formoso iuvene pellectam, non invitam esse abreptam, ne suspicari quidem nos sinunt prisci poetae verba clara et indubitata. Nullus hic suspici-

---

[1]) Cf. schol. Aristoph. Lys. 155 sq. Eur. Andromach. 629 Helbig Epos[1] p. 124 sq. Roscher Myth. Lex. I 1946.

[2]) Herodot. II 113—120.

onibus locus. Pellexit ancillam quandam mercator Sidonius, et postquam dulci lege amoris subiectam tenuit, ut detractis domini opibus per mare in patriam longinquam se sequeretur haud difficulter permovit. Prius mulierculam corrupit:

πρῶτ᾽ ἐμίγη κοίλhι παρὰ νηΐ
εὐνῆι καὶ φιλότητι, τά τε φρένασ ἠπεροπεύει
θηλυτέρhισι γυναιξί [1]),

dein navi eam secum abduxit ϝεκὼν ϝεκοῦσαν. Sic in Cypriis μετὰ τὴν μεῖξιν Paris et Helena opes collegerunt, dein navi Troiam aufugerunt [2]). Paris vero Homericus cum reginam Lacaenam abripuisset nihil eiusmodi ante suspicatam et frustra ut sibi succurreretur clamantem, postquam in tutum pervenit ἁρπάξασ ἐν ποντοπόροισι νέεσσι, tum demum mulieris innocentissimae pudicitiam vi vicit et

νήσωι ἐνὶ Κρανάhι ἐμίγη φιλότητι καὶ εὐνῆι [3]).

Itaque, ut Gorgiae verbis peroremus: πῶσ οὖν χρὴ δίκαιον ἡγήσασθαι τὸν τῆσ Ἑλένησ μῶμον, ἥτισ . . . πάντωσ διαφεύγει τὴν αἰτίαν; Iliade Odysseave perfrui non possunt nisi illi lectores quibus Ἑλένh δῖα γυναικῶν Ἀρτεμίδι ϝεϝικυῖα a patre Iove haud quaquam videatur degenerasse. Hi soli ex animi sententia dicere possunt id quod eius formam divinam admirati dixere senes Troiani:

οὐ νέμεσισ Τρῶασ καὶ ἐϋκνήμιδασ Ἀχαιοὺσ
τοιῆιδ᾽ ἀμφὶ γυναικὶ πόνον καὶ πήματα πάσχειν!

Sed aevi recentioris mutataeque sensim mentis hominum nisi in Helenae quoque Homericae imagine, ut in ceterorum heroum heroinarumque imaginibus, aliqua hodie apparerent vestigia, miraculi id foret instar, quoniam πάνθ᾽ ὁ μέγασ χρόνοσ μαραίνει. Itaque si cui perlecta hac scriptione parum sit persuasum, nullo negotio colligere aut ab aliis collectos indicare poterit discrepantes aliquot Iliadis Odysseaeque versus. Non multos tamen proferre habebit, nam rara eiusmodi vestigia in carminum epicorum textu tradito Helenae Homericae speciem deturpant.

---

[1]) ο 420—422. Qualia a priscis reginis quam essent aliena probe sensit Plutarchus Moral. 856 *e*, *f*.

[2]) Cf. p. 101, 2.

[3]) *Γ* 443—445.

Odysseae locis duobus Helena claris verbis accusatur [1]). Altero ipsa culpae consciam se dicit. Ulixes enim callida fraude cum speculator in urbem se insinuasset et multis Troianis occisis incolumis evasisset, „*ceterae Troianae*" Helena ait

„λίγ' ἐκώκυον, αὐτὰρ ἐμὸν κῆρ
'χαῖρ', ἐπεὶ ἤδη μοι κραδίη 'τέτραπτο νέεσθαι
ἂψ ϝοῖκόνδ', ἀάτην δὲ μετέστενον, ἣν Ἀφροδίτη
'δῶχ', ὅτε μ' ἤγαγε κεῖσε φίλησ ἀπὸ πατρίδοσ αἴησ,
παῖδά τ' ἐμὴν νοσφισσαμένην θάλαμόν τε πόσιν τε
οὔ τεο δευόμενον, οὔτ' ἂρ φρένασ οὔτε τι ϝεῖδοσ" [2]).

Hic recentioris aevi percipi vocem negari nequit. Sed accuratius aurem attendentibus sola ἐτέτραπτο et ἀάτην discrepare videntur a prisci carminis sono; cetera de ea quae vi suis erepta fuerit dici potuerunt aptissime, neque fingere potuit poeta Helenam post annos aliquot cum Menelao denuo transactos coram illo et iuvene hospite se ipsam ultro incusasse. De culpa sua, si qua fuisset, nunc certe tacere et poterat et debebat. At substituamus (exempli causa): ἐπεὶ α ἰ ε ί μοι κραδίη ὥ ρ μ α ι ν ε νέεσθαι et: α ἶ σ α ν δὲ μετέστενον, et apta erunt omnia optimeque cum vicinis cohaerebunt. „*Ceterae lugebant, at ego gaudebam, semper enim redire avebam ad optimum maritum natamque dulcissimam*".

Verbo autem νοσφίσσασθαι non subest culpae voluntariae notio, sed ita nunc est accipiendum ut ἕπεσθαι et λιπεῖν in Helenae ad Priamum verbis hisce:

ὡσ μ' ὄφελεν θάνατοσ ϝαδέμεν κακόσ, ὁππότε δεῦρο
υἱέϊ σῶι ἑπόμην, θάλαμον γνωτούσ τε λιποῦσα
παῖδά τε τηλυγέτην καὶ ὁμηλικίην ἐρατεινήν.
ἀλλὰ τά γ' οὐκ ἐγένοντο· τὸ καὶ κλαίουσα τέτηκα [3]).

Quo loco ne quis in similem errorem incidat satis cautum est verbis ultimis, quae sic haec interpretari nos cogunt: „*utinam mortem ipsa mihi conscivissem cum a praedone abrepta meos reliqui! Sed luctu afficere me di voluere.*"

---

[1]) Hanc ob causam Aristarchus Helenam et in Iliade sontem dici perhibuit, refellere studens τοὺσ χωρίζοντασ, qui hoc argumento — inter alia — utebantur ut non eiusdem poetae utrumque carmen esse demonstrarent.

[2]) δ 259—264.

[3]) Γ 173—176. Filia Helenae (Hermione) etiam δ 14 commemoratur.

Alterum Odysseae locum modo hunc dicebamus:

οὐδέ κεν Ἀργεΐη Ἑλένη Διὸσ ἐκγεγανῖα
ἀνδρὶ παρ' ἀλλοδαπῶι ἐμίγη φιλότητι καὶ εὐνῆι,
εἰ 'ϝείδειν ὅ μιν αὖτισ ἀρήϊοι υἷεσ Ἀχαιῶν
ἀξέμεναι ϝοῖκόνδε φίλην εἰσ πατρίδ' ἔμελλον.
τὴν δ' ἦτοι ῥέξαι θεὸσ ὤρορε ϝέργον ἀϝεικέσ,
τὴν δ' ἀάτην οὐ πρόσθεν ἑϝῶι ἐγκάτθετο θυμῶι
λυγρήν, ἐξ ἧσ πρῶτα καὶ ἡμέασ ἵκετο πένθοσ [1].

Penelopae haec sunt verba. Quae quoniam minime cohaerent cum vicinis, Aristarchus obelis hos versus notavit utpote ab argumento alienos. Itaque qui sapit ad criminandam Helenam Homericam iis non utetur. Nam aut de Helena tacere debuit nunc Penelope aut haec dicere: „*semper diffido hospitibus, Helenae illius memor, quae non fuisset abrepta in regionem longinquam nisi decepisset eam vir peregrinus.*" Nimis *credula*, parum *cauta*, non parum *casta* fuisse Menelai uxor dicenda erat. Vide autem quam leni manu id . . . non dico ea ipsa quae cecinit priscus poeta, — *οὐ γὰρ οὕτω μαίνομαι!* — sed id quod in contextum optime quadret e verbis traditis possit effingi:

οὐδέ κεν Ἀργεΐη Ἑλένη Διὸσ ἐκγεγανῖα
ἀνδρί περ ἀλλοδαπῶι ἐμίγη φιλότητι καὶ εὐνῆι,
εἰ 'ϝείδειν ὅτι μιν ξεῖνοσ νήεσσιν ἔμελλε
ἀξέμεναι Τροίηνδε φίλην εἰσ πατρίδα γαῖαν.
τὸν δ' ἦτοι ῥέξαι θεὸσ ὤρορε ϝέργον ἀϝεικέσ·
ἣ δ' ἀάτην [2] *οὐ πρόσθεν ἑϝῶι ἐγκάτθετο θυμῶι*
λυγρήν, ἐξ ἧσ πρῶτα καὶ ἡμέασ ἵκετο πένθοσ.

Nullum iam Helenae crimen, sed in unum Paridem omnis culpa reicitur.

Etiam pauciores versus Helenae infestos habet Ilias, immo habet nullum, sed habet vocem *κύνα* vel *κυνώπιδα*, qua semel et iterum ipsa se increpat Helena; quae parum apta sunt vocabula in ore feminae nulla culpa pallescentis. At sine viciniae damno removeri possunt versus qui huc faciunt; quos ita excribam ut

---

[1]) ψ 218—224.
[2]) An *ἀπάτην*?

cancellis meam de iis opinionem significem. Primo loco de Agamemnone ad Priamum Helena loquitur:

οὗτόσ γ' Ἀτρεΐδησ, εὐρὺ κρείων Ἀγαμέμνων,
ἀμφότερον, βασιλεύσ τ' ἀγαθὸσ κρατερόσ τ' αἰχμητήσ.
[δαὴρ αὖτ' ἐμὸσ ἦσκε κυνώπιδοσ, εἴ ποτ' ἔεν γε.] [1])

Secundo cum Hectore confabulatur:

[δᾶερ ἐμεῖο, κυνὸσ κακομηχάνοο κρυοέσσησ,]
ὥσ μ' ὄφελ' ἤματι τῶι, ὅτε με πρῶτον 'τέκε μήτηρ,
οἴχεσθαι προφέρουσα κακὴ θανάτοιο θύελλα!
κτἑ.
ἀλλ' ἄγε νῦν εἴσελθε καὶ ἕζεο τῶιδ' ἐνὶ δίφρωι,
δᾶερ, ἐπεί σε μάλιστα πόνοσ φρένασ ἀμφιβέβηκε
εἵνεκ' ἐμεῖο κυνὸσ καὶ Ἀλεξάνδροι' ἕνεκ' ἀρχῆσ,
οἷσιν ἐπὶ Ζεῦσ 'θῆκε κακὸν μόρον, ὡσ καὶ ὀπίσσω
ἀνθρώποισι πελώμεθ' ἀοίδιμοι ἐσσομένοισι [2])

Quorum versuum primus delendus videtur, antepaenultimo autem remedium paratum: scribatur quod iussit vHerwerden, *εἵνεκ' ἐ μ ῆ σ ἔ ρ ι δ ο σ*, ut in versu parallelo, neque erit quod etiam displiceat.

Simile emblema habet Odyssea, ubi Helena adspecto Telemacho iuvene ad maritum *„nullum unquam"* ait *„vidi mortalem alii tam similem*

ὡσ ὅδ' 'Οδυσσῆοσ μεγαλήτοροσ υἷι ϝέϝοικε".
[Τηλεμάχωι, τὸν ἔλειπε νέον γεγαῶτ' ἐνὶ ϝοίκωι
κεῖνοσ ἀνήρ, ὅτ' ἐμεῖο κυνώπιδοσ εἵνεκ' Ἀχαιοὶ
ἤλθεθ' ὑπὸ Τροίην πόλεμον θρασὺν ὁρμαίνοντεσ.] [3])

Ubi tres quos cancellis inclusi versus deleri iussit vHerwerden [4]), non eam ob causam in qua nos nunc versamur, sed quod pueruIo, quem Helenae ne in conspectum quidem olim venisse credibile sit, adolescens perabsurde dicatur similis. Primus versus ita interpretandus est: *tam similis hic iuvenis est Ulixi ut huius filium esse certum ducam.*

---

[1]) *Γ* 178—180. Versus tertius non tantum sine damno contextus abesse potest, sed vel aptior est proximus ad claudendum enuntiatum.

[2]) *Z* 344—358.

[3]) *δ* 143—146.

[4]) Qui nobis nunc praesertim molesti sunt versus 145 sq., eos pridem damnavit Knight.

Denique commemorandi sunt pauci quidam versus, unde ne quis testimonia Helenae adversa petat non magnum quidem sed aliquod tamen est periculum.

Nego igitur eiusmodi quid inesse voci Achillis ob sodalem trucidatum desperantis: „ῥιγεδανῆ Ἑλένη" [1]). Nam etiam innocentissimae feminae nomen horrificum facere potuerunt mala quorum illa extitit causa, ex Achille autem aequum nunc de ea iudicium non est expectandum.

In fine τῆς Τειχοσκοπίας de fratribus Helena:

„ἢ οὐχ ἑσπέσθην Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς,
ἢ δεῦρο μὲν ἕποντο νέεσσ' ἔνι ποντοπόροισι,
νῦν αὖτ' οὐκ ἐθέλουσι μάχην καταδύμεναι ἀνδρῶν,
αἴσχεα δεδϝιότες καὶ ὀνείδεα, πόλλ' ἅ μοί ἐστι" [2]).

Quorum versuum sive deletur ultimus auctore Koechlio, sive servatur, culpae utique nullam habet confessionem. Nam dedecori fratribus videri debuit soror marito erepta, etiamsi invita abrepta esset.

De eiusdem mortuum Hectorem lugentis verbis:

„οὐ γάρ τίς μοι ἔτ' ἄλλος ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
ἤπιος οὐδὲ φίλος, πάντες δέ με πεφρίκασι" [3])

sufficit observasse eadem ratione atque illud „ῥιγεδανῆ" esse interpretanda.

Irata autem quae ad Venerem dicit:

„οὕνεκα δὴ νῦν δῖον Ἀλέξανδρον Μενέλαος
νικήσας ἐθέλει στυγερὴν ἐμὲ ϝοίκαδ' ἄγεσθαι,
τούνεκα δὴ νῦν δεῦρο δολοφρονέουσα παρέστης;" [4])

tantum abest ut sint se ipsam criminantis, ut potius ad contrarium demonstrandum sufficiant. Unum adiectivum στυγερήν molestum; etiamsi autem flagitiosissima fingatur Helena, vel sic id in hoc contextu incommodum maneat. Aptius foret exempli causa:

νικήσας ἐθέλει με πάλιν ϝοῖκόνδ' ἀνάγεσθαι.

De versu denique

ὣς φάτο, τῇ δ' ἄρα θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινε [5])

taceri nunc posset, immo deberet, est enim ab argumento nostro

---

[1]) Τ 325. [2]) Γ 239 sqq. [3]) Ω 774 sq.
[4]) Γ 403 sqq. [5]) Γ 395.

plane alienus, nisi infelicissime eum interpretatus Aristarchus Helenam *amoris stimulo incitatam* dici perhibuisset, dein damnans viginti tres versus proximos. Tribuatur modo verbo ὀρῖναι ea vis quae ei est propria, dici enim solet de iis quorum animus spectaculo inexpectato feritur atque perturbatur (= ταράξαι), nihilque habebunt haec verba quod nos detineat.

I nunc et talibus testimoniis fretus damna Helenam illam, quam cecinit Homerus. Ne Philocleon quidem aliquis id sustineat, opinor. Ista si cui sufficere videantur ad magni nominis, immo ad carminis immortalis, cuius veluti centrum Helena obtinet, splendorem offuscandum, nae οὐδὲν ἄλλο πλὴν ψήφωι δακεῖν norit ille oportet.

VI.

DE THETIDE PELEI UXORE [1]).

„*Tune Herculem illum laudas, qui Virtutem vitae ducem sequi maluit quam Voluptatem? Bardus fuit: lateribus et lacertis valebat, non mente!*

ἐπεὶ σὺ διὰ τὸ σωφρονεῖν τῶι πώποτ' εἶδεσ ἤδη
ἀγαθόν τι γενόμενον; φράσον, καί μ' ἐξέλεγξον εἰπών!"

Sic *Ἄδικοσ* ille, quem in Socratis *φροντιστηρίωι* verba facientem fecit comicus. Cui adversarius: „*πολλοῖσ!*" magna cum indignatione respondet, dein secum reputans exemplum quaerit quod e sacris mythis proferat; nam vitae bene instituendae exempla inde potissimum petenda esse in schola didicit puer. Mox exclamat:

„*ὁ γοῦν Πηλεὺσ ἔλαβε δι' αὐτὸ τὴν μάχαιραν!*"

— „*Bellum scilicet donum fortunae, quod ut assequatur quis non lubens multa ferat faciatque! Aliud est lucrum eorum qui lingua sunt prompti:*

μάχαιραν; ἀστεῖόν γε κέρδοσ ἔλαβεν ὁ κακοδαίμων!
Ὑπέρβολοσ δ' οὑκ τῶν λύχνων πλεῖν ἢ ἑκατὸν τάλαντα
εἴληφε διὰ πονηρίαν, ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ μάχαιραν!"

— „*Etiamne hoc parum, quod Thetidem uxorem duxit?*"

Iam vero in claros cachinnos erumpens orator Improbus:

„*κᾆτ' ἀπολιποῦσά γ' αὐτὸν ὤιχετ'! οὐ γὰρ ἦν ὑβριστὴσ*
οὐδ' ἡδὺσ ἐν τοῖσ στρώμασιν τὴν νύκτα παννυχίζειν."

---

[1]) Primum prodiit in Mnemosyne, 1 Iul. 1906

Nec habet Probus orator quod etiam reponat: obmutescit, mox hoc similibusque argumentis devictus Improbi istius magistri petit scholam, Voluptati patronae et ipse in posterum se addicturus.

Novimus omnes faceti dramatis locum facetum. Ubi ridendo verum dicens comicus docet quam turpiter priscis fabulis abutantur qui exempla inde ducant ad suam ipsorum nequitiam defendendam. „Iovis furta novimus omnes . . . egone homo improbem quae deum pater perpetraverit? — Herculem lassum balneo aliquando refecit Minerva . . . et molliorum hominum esse dicitur calidis balneis uti? — Oratorem mellifluum celebravit Homerus . . . et dicendi peritia iuventuti nocere creditur? — Pudicitiam colendam aiunt ludorum magistri . . . Peleo autem quid profuit illa pudicitia? Nempe Acasti uxorem dum fugit abstinens alter Bellerophon vel Iosephus, per saltus montium inermis oberrans a Mercurio deorum ministro accepit . . . quid? Castitatis quodnam praemium caelites decreverunt continentissimo mortalium? Cultrum, quo feras arceret videlicet!" — „At etiam Thetidis ei concessae sunt nuptiae!" — „Bellum nimirum id fuit matrimonium, in quo uxor habitaret maris fundum, coniuge in toro frigido relicto. Nimis fuit ille continens, mihi crede: minus si fuisset, melior fuisset maritus. Cui non risit Mater cupidinum, nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est."

Gravioribus verbis quam sunt poetarum comicorum idem potest dici: apertius dici non potest. Thetis nova nupta non permansit apud maritum mortalem. Causam rei relinquimus scurris iocosis, ipsam rem tenemus.

Et omnes idem clamant: a Peleo in littore Sepiade vi domitam Nereidem peperisse filium Achillem. Cuius fabulae originem si quis repetat, perveniat ad piscatorem cum ingenti loligine luctantem, qualem Victor Hugo loco nemini non cognito celebravit.

Casca illa parumque epica mittenda nunc videntur? Quamquam de Hugonis illa loligine haud immerito dixerit quis: „cette pieuvre est épique!" Sed libens equidem mitto, unum Homerum nunc curans. Itaque mitto etiam nuptias Pelei et Thetidis a posterioribus

poetis et pictoribus certatim celebratas [1]), mitto dona caelitum [2]) et malum Eridis, etiam Peleum mitto Euripideum *τῶν πάρος νυμφευμάτων χάριν* immortalitate donatum [3]), unus Homerus quid habeat scire cupiens, Thetidem Homericam nunc curans solam.

Hactenus postquam in disquisitione progressi sumus, quis est nostrum quin aperiat, quem e manibus philologi raro deponimus, librum Lehrsii de Aristarchi studiis Homericis. Scimus enim ibi inventuros nos quae hac de re docuerit Aristarchus. Paucis igitur verbis illic indicata sunt quae huc faciunt:

„Thetis non duodecimo postquam Achillem enixa erat die Pelei domum reliquit, quae recentiorum fabula est, sed permansit; ipsaque Achillem educavit, non Chiron. Ab hoc secundum Homerum nil nisi medicinam edoctus est. *Ι* 486, 489 *Π* 222, 574 *Σ* 57, 60, 90, 332, 438. Imo educatorem ei dedit Phoenicem, *Λ* 832".

Recte sic Lehrs [4]): etiamne recte Aristarchus?

Nego atque pernego.

Non quo perhibeam falsa esse omnia quae de Thetide docuerit Aristarchus. Absit! Utilia utique de ea quoque docuit. Sed veris falsa admixta aio. — „Phoenix educavit Achillem, Chiron solam medicinam eum docuit": quis non assentiatur! — „Thetidem duodecimo die post filium natum reliquisse maritum non ait Homerus": recte observatum. Sed nego, Homerum si sequamur, sumendum esse Thetidem apud Peleum habitasse, nego ab ea educatum Achillem, nego poetam in poeta sic agnosci.

Enarrabo quae de matre Nereide eiusque filio recens adulto habet

---

[1]) Vas quod Francisci dici solet („Françoisvase") hic commemorandum.

[2]) Commemorantur hae nuptiae — sed in transitu — *Ω* 62 sq.; *dona* autem Peleus — ut alii heroes multi — a dis accepisse dicitur equos (*Π* 867 *Ψ* 278), hastam (*Π* 143 *Τ* 390), arma (*Ρ* 194—197); sed *nuptiale* donum arma fuisse uno tantum versu, qui recentioris fortasse est aevi, dicuntur *Σ* 85.

[3]) Cf. Andromachae fabulae finis. Quamquam Euripidis ea fabula concinit potius cum Homero quam refragatur. *Dudum enim relictum* a Thetide Peleum et Euripides cecinit. Delubrum *Thetideum* ille commemoravit sane, sed Peleum ibi *perpetuo* olim cum Thetide cohabitasse ne ille quidem dixit, verbis minus definitis prudenter usus. *A vita autem communi remotam* fuisse illam aedem aperte est prolocutus. Thessaliae utique *regina* non fuit Thetis dea.

[4]) L.l. p. 190.

Ilias; non enim de carminibus Iliade antiquioribus nunc disputo, sed de eo carmine quod manibus tenemus, olim tenuit Aristarchus. Odysseam autem mittere nunc licet, non enim in ea inveniuntur quae ad rem faciant. Mitto etiam *διδάσκαλον* illum Chironem, cuius mentio apud Homerum non nisi uno fit loco et in transitu [1]. A nostra disputatione ille locus alienus est. Alii poetae Chironem fecerunt Achillis *τροφέα* [2], et antiqua procul dubio pulcraque fuit fabula [3] de Achille illo, quem Iasonem alterum iure vocaverit quispiam; nam et Iasonem *οὔρεσιν ἔτρεφε Χίρων* [4]. Sed non pertinent haec ad eum de quo nunc loquimur Achillem Homericum huiusve matrem. De his quae habet Ilias paucis complexuri sumus.

Achivi pervenerunt in littus Troadis, ubi mox rixa inter Achillem et Agamemnonem coorta eum quem novimus habuit finem. Iamque tristis Achilles incedit per littus desertum. Brevis fuit spes illa laudis bellicae, ad quam adipiscendam iuvenis vixdum exuta pueritia in bellum nuper profectus est! Solum se sentit infelicemque, et matris recordatus, apud quam nunquam frustra conquestus sit dolores luctusque aetatis imberbis, *ὁράων ἐπὶ ϝοίνοπα πόντον χεῖρασ ὀρεγνὺσ* flebilibus verbis eam invocat. Audit eum mater

ἡμένη ἐν βένθεσσιν ἁλὸσ παρὰ πατρὶ γέροντι,
καρπαλίμωσ δ' ἀνέδυ πολιῆσ ἁλὸσ ἠΰτ' ὀμίχλη,
καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο [5]),

dein flentem consolata abit. Quo abeat non dicit poeta, Achillem nunc pingens succensentem, non matrem in sedes solitas redeuntem; sed nemo dubitare potest quin redeat illuc unde venerit, in

---

[1]) *Λ* 832.

[2]) Sic Pindarus Nem. III 75—111, antiquius poema se sequi professus, fortasse Aethiopidem. Item Euripides Iphig. Aul. 708—710.

[3]) „Jeder wird einräumen, dass, wie Mannhardt sehr richtig hervorhebt, der Bericht wornach Chiron den Achill mit Eber- und Löwenleber und Bärenmark aufzieht und ihn lehrt, Eber und Hirsche schnell wie der Wind einzuholen, ohne Hund zu fassen und auf starkem Arm seinem Meister zuzutragen, die frischeste Kraft höchsten Altertums athmet, was man von jener viel weicheren Erziehungsmethode in der Ilias, an deren Ende Thetis ihren Sohn mit Röcken gegen den Wind versieht, wahrlich nicht behaupten kann". E. H. Meyer, Achilleis p. 427.

[4]) Hesiod. Theog. 1001 et fragm. 19.

[5]) *Α* 358 sqq.

maris igitur penetralia, *κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνησ χρύσεα μαρμαίροντα* [1]. Mox, memor promissorum quae dedit filio, denuo

ἀνεδύσετο κῦμα θαλάσσησ [2])

Olympumque petiit, ubi postquam cum deorum patre in remoto montis cacumine est collocuta,

εἰς ἅλ' ἆλτο βαθεῖαν [3]).

Illic habitat in aedibus spatiosis, ubi et ceterae degunt Nereides quaeque plura numina pontus habet. In alto maris fundo iis est domus: in alto autem Olympi montis vertice, supra mare nubium, habitant numina quorum dominium est terra firma. Degit nunc Thetis cum sororibus in aedibus paternis, ut olim ibi degit, priusquam *ἔτλη ἀνέροσ εὐνήν*. Sic Venus Olympum habitavit etiam postquam filium Aeneam peperit regi Anchisae. Fingimusne nobis Venerem cum Anchisa habitantem, in eius megaro lanificantem, cum filiolo ludentem? Fingimusne ambrosia in aedibus hominis terrestris vescentem, dum iuxta eam marito apponitur *ἐδωδὴ ἔσθειν καὶ πίνειν, οἷα βροτοὶ ἄνδρεσ ἔδουσι*? Quae si inepta videntur et ab hymno illo in quo Veneris cum viro mortali amores celebrati sunt nimis absurde discrepant [4]), minusne absurda videtur Thetis in regia Pelei degens filiumque educans? Immo multo etiam absurdior haec foret fabella! Nam sponte volensque ad Anchisam quae venisset, etiam aliquantisper apud eum permansisse fortasse fingi potuit: quam vero vir invitam nec nisi vi adhibita sibi iunxit, — sive illam vim cogitamus, quam recentiores certe poetae [5]) cogitarunt, qui in littore deserto cum ea colluctantem fecerunt Peleum, ut Menelaum cum Proteo Homerico, sive adamantinam illam vim fati, quod e viro mortali eam matrem fieri et prolem mortalem parere iussisset, — quidni illa abierit ut primum posset?

„*ὁ Εὐριπίδησ ἅπαξ φησὶ μιγῆναι Πηλέα τῆι Θετίδι ἐν τῆι Σηπιάδι.*

[1]) De *Neptuni* aedibus haec dicta sunt (*N* 21 sq.), sed parum similem his fuisse Nerei domum non est cur putemus.

[2]) *A* 496.

[3]) *A* 532.

[4]) „*Πολλάκισ*" vero Venerem „*πρὸσ Ἀγχίσην κατελθεῖν*" quae dicit in dialogo quodam apud Lucianum, eam „*σκώμματι*" uti ipsa ait Venus (Lucian. VIII 20 § 5).

[5]) Sed perantiquam hanc fabulam fuisse libentissime concedo I. H. Meyero.

Quis ait? Tzetzes [1]). Qui si non satis luculentus videtur testis, aut de Homero disputantibus parum valet auctoritas Euripidis sero nati poetae tragici, ipse assurgito Homerus ad interpretandum Homerum, ipsa Thetis Homerica de sorte sua narret. Quae „*Pro pudor!*" ad Vulcanum ait: „*Iuppiter*

ἐκ μέν μ' ἀλλάων ἁλιάων ἀνδρ' ἐδάμασσε
Αἰακίδῃ Πηλῆϊ, καὶ ἔτλην ἀνέρος εὐνὴν
πολλὰ μάλ' οὐκ ἐθέλουσα" [2]).

Interpres autem horum verborum esto priscus legislator Cretensis, qui si quis virginem „*κάρτει δαμάσαιτο*", gravissimam huiusmodi flagitio statuit poenam [3]). Hoc ibi est *δαμάσασθαι*: vim inferre puellae nolenti; hoc est quod criminatur Thetis: Iove iubente vim sibi illatam a viro mortali [4]). *Ἀνέρος εὐνήν* [5]) . . . non sponte volensque expetivit, ut Venus, ut Calypso et Circe, sed *ἔτλη*. Non *φιλότητι καὶ εὐνῇ*, non animo et corpore ei iuncta est, sed corpore solo. Vim perpessa est invita et frustra obnixa.

Idem aiunt recentiores, Pindarus: „*Πηλεὺς ἄναξ . . . ποντίαν Θέτιν κατέμαρψεν* (= *βίαι καθεῖλε* vel potius = *ἐβιάσατο*) *ἐγκονητί*" [6]), „*πῦρ δὲ παγκρατὲς θρασυμάχανός τε λεόντων ὄνυχας ὀξυτάτους ἀκμάν τε δεινοτάτων σχάσαις ὀδόντων ἔγαμεν ὑψιθρόνων μίαν Νηρεΐδων*" [7]), Herodotus: „*ἡρπάσθη ἡ Θέτις ὑπὸ Πηλέος*" [8]).

Estne igitur cur fidem etiam denegemus Euripidi asseveranti Peleum *semel* tantum Thetidem brachiis tenuisse? Immo verum ille poetam se praestitit. Nam licet ob oculos haberet imagines Pelei Thetidisque splendidas illas nuptias exhibentes, recentius hoc priscae fabulae ornamentum reiecit et sprevit, intellexit enim terram firmam *τῇ ἀργυροπέζῃ* sedem non praebuisse, sed illuc

---

[1]) Ad Lycophr. Alex. 178 (Eur. fr. 1078).

[2]) Σ 432 sqq.

[3]) Leg. Gortyn. I^{12}.

[4]) Non mortalem sed deum primitus fuisse Peleum, Thetidem igitur eum vitantem apte posse comparari cum Nemesi Iovem fugienti (cf. Cypriorum fr. Athen. 334 *c*) et cum Cerere Neptunum (cf. mythi qui Thelpusae et Phigaleae vivebant), minime nego, sed de Peleo Homerico nunc loquimur solo.

[5]) Non *cubile* sed *concubitum* vocem *εὐνήν* hic et passim significare vix est quod dicam.

[6]) Pind. Nem. III 60, ubi scholia afferunt duos Sophoclis locos (fr. 163 et 548) idem testantes.

[7]) Ibid. IV 101 sqq.; ubi in scholiis conferuntur Homeri quos excripsimus versus.

[8]) Herodot. VII 191.

unde venerat illam rediisse, ut primum liberam se sensisset ex amplexu viri plus quam humanum ausi [1]).

In aedes igitur paternas et dicionem sub maris fluctibus abditam redit Thetis mater futura — nam *θεῶν οὐκ ἀποφώλιοι εὐναί*. Etiamne enixa ibi est filium et per primos vitae menses lacte suo [2]) enutrivit? Fortasse: potuit certe eius filius ibi vivere ubi vivebat ipsa, et Theseus Neptuni filius si aedes Nereidum in maris fundo visere et incolumis inde in communem hunc aërem denuo emergere potuit [3]), quidni potuerit etiam filius Thetidis?

Inde a pueritia tamen in terra firma et in aedibus patris Achilles degit. Habuit ibi Pelei filiolus custodem sibi adiunctum Phoenicem, qui *ὄψον προταμὼν καὶ ϝοῖνον ἐπισχὼν* infantulum enutriebat *ἐν νηπιίηι ἀλεγεινῆι* multa sibi negotia facessentem [4]), talia dicimus negotia qualia Orestis nutrix Cilissa commemorat apud Aeschylum. Nonne matris potius videtur fuisse genibus tenere infantem imbecillum, fortasse etiam edentulum? Ita sane! Ergone fingimus nobis Thetidem cenae communi in megaro Aeacidarum assidentem dum hospes bellator ancillari officio functus eius filiolo escam praebet *ϝοῖνον ἀποβλύζοντι καὶ ἐπὶ στήθεσφι χιτῶνά ϝοι καταδεύοντι*?

An insulsiora videntur talia quam quae vel scribantur hic?

Mihi quidem videntur. Quod si ita habet, certum est poetae qui Phoenicem cecinit cognitam non fuisse Thetidem apud Peleum degentem. Et sic demum suo pretio possunt aestimari haec Phoenicis ad Achillem verba: *„σὲ παῖδα ἐποιεύμην"* [5]). Puerum, qui

---

[1]) Priorem igitur partem enuntiati sequentis libenter meam facio, non vero posteriorem, quam signo || inde secrevi: „der Dichter kannte die Sage von den Eltern des Achilleus schon in der Gestalt, wie wir sie in dem . . . Handbuch des Apollodor lesen und auf den Monumenten finden: [nicht nur] den Mythus, dass der sterbliche Held die Meeresgöttin im Ringkampf überwältigt hat, || sondern auch den, dass diese ihr Kind im Feuer zum Gotte läutern wollte, aber dabei von ihrem Gatten überrascht und in ihrem Vorhaben gehindert wurde, worauf sie grollend zu ihrem Vater zurückkehrt (Robert Studien zur Ilias p. 354).

[2]) Faciunt huc Myrmidonum ad succensentem Achillem verba: *„χόλῳ ἄρα σ' ἔτρεφε μήτηρ"* *Π* 203. „*Felle*" . . . *non lacte!* A matre suo lacte nutritum infantem cogitabat qui hunc versum fecit.

[3]) Cf. Bacchyl. XVII 100 sqq.

[4]) *I* 488—491.

[5]) *I* 494.

matre vivente matre tamen careret, pro sua prole habuit, ipse prole orbus.

Ergone nihil filium suum curavit Nereis?

Immo tenerrima cura prosecuta est eminus. Quoties opus est adest, neque unquam ei deest; audit vocata, etiam non vocata identidem eum visit. Quoties id fecerit nescimus: nempe iurisconsultorum, non poetarum est praestituere quam saepe post divortium parentes visuri sint liberos. Sed *saepius* venit teste filio. Qui *πολλάκι πατρὸσ ἐνὶ μεγάροισιν ἀκοῦσαι* se ait *εὐχομένησ* Iovi aliquando opitulatam esse ipsam [1]). Non „domi" ait Achilles se id e matre audivisse saepius, sed: „in patris aedibus". Poteratne clarius distingui Pelei domus a sede Thetidis? clariusne dici potuit domum patris non fuisse et matris domum? [2])

Itaque tunc quoque, cum multo etiam graviore dolore quam antea perculsus est filius, tum cum clamoribus horrificis non honorem laesum luxit sed caesum amicum, *σμερδαλέον οἰμώξοντοσ ἤκουσεν*

ἡμένη ἐν βένθεσσιν ἁλὸσ παρὰ πατρὶ γέροντι [3]).

Cum ceteris Nereidibus reliquit tunc pelagi penetralia, — *ἀργυφέον σπέοσ* earum domum vocat poeta [4]), — et filium dolore prostratum postquam moestis verbis affata atque ita ut potuit consolata est, Olympum adiit, unde arma a Vulcano facta mox ei attulit. Dein rediit in aedes suas spatiosas. Inde mox a Iove in Olympum est arcessita [5]), et brevi post, cum et ipse Achilles ante Troiae moenia cecidisset, luctu confecta emersit denuo, ut cum sororibus exequias ei iret [6]).

Certane sunt haec et aperta? Opinor.

At Aristarchus, non imperitus tamen iudex, alia omnia statuebat. Qui factum?

Nempe *θρέψαι* se filium ait Thetis [7]).

---

1) *Α* 396.

2) Amici Mendesii haec est observatio.

3) *Σ* 36.

4) Item *Ω* 83 *γλαφυρὸν σπέοσ*, quo ut perveniret Iris ceu glans plumbea ad maris *βύσσον* penetravit.

5) *Ω* 80—83.

6) *ω* 47—59.

7) *Σ* 57 et 438.

At *eminus* dei curam habent mortalium, *ἀπόντεσ πάρεισιν*, praesentissimum eis ferunt auxilium dum in suis sedibus commorantur. Itaque Iuno cum ait se Thetidem ipsam *θρέψαι καὶ ἀτιτῆλαι* [1]), neque cogitanda est in Olympum eam abduxisse aliquando neque sub undis cum ea vixisse, sed ita eam fovisse ut Thetis postea fovit suum filium, eminus ei mittendo quaecunque bona habet aetas florida. Minime vero *θρέψαι* illud verbum nos cogit ut in Pelei aedibus Thetidem a poeta collocatam censeamus. Moesta autem deae verba:

τὸν δ' οὐχ ὑποδέξομαι αὖτισ
ϝοίκαδε νοστήσαντα δόμον Πηλήϊον εἴσω [2]),

quae cum loquitur, e maris undis modo emersit, mox illuc reditura, significant: *„filium, quem vixdum adultum in belli pericula misi nuper, non videbo inde reversum in regiae paternae pacem et quietem.*" — Redditum sibi dictura erat filium e tanta caede reducem: at non rediturus est in patriam, instat ei mors: in littore Troiano corpus defuncti mox *ὑποδέξεται* mater funusque obibit cum sororibus [3]).

In bellum autem proficiscenti Achilli praebuit arcam *καλὴν δαιδαλέην*,

ἐῢ πλήσασα χιτώνων
χλαινάων τ' ἀνεμοσκεπέων ϝούλων τε ταπήτων.
ἔνθα δέ ϝοι δέπασ ἦσκε τετυγμένον —

cetera quae novimus [4]). Quae tenuioris fortasse curae et matre divina filii robustissimi non satis digna [5]) cuipiam videantur, — quamquam matrum est ita filios etiam adultos *ἀτιτάλλειν*, — sed ab argumento in quo versamur aliena est haec quaestio, nego autem cogitandam nunc esse Thetidem quo tempore in bellum profectus est Achilles in Pelei domo etiam habitantem. *Arcam* illam quis confecerit nescio sane, sed *poculum* et *vestes* ex Nereidum aedibus venisse confidenter statuo, memor Vulcani, qui in illis aedibus per annos complures fabricatus est *δαίδαλα πολλά*, ut Thetidi gratum se praestaret [6]), et Aethrae matris Thesei, cui *χρύσεον κάλυμμα*

[1]) *Ω* 60.
[2]) Σ 59 sq. et 440 sq.
[3]) Etiam Σ 332 igitur ita est interpretandus.
[4]) *Π* 221 sqq.
[5]) Cf. p. 112, 3.
[6]) Σ 400. De quo loco mox plura dicemus

Nereides dono dederunt [1]; ipsi autem Theseo Nereidum sedes visenti maris regina Amphitrite

ἀμφέβαλε λάδιον πορφύρεον [2].

Et Thesei si procul hinc habenda videtur fabula, ex ipso quoque Homero novimus nymphas in littoris speluncis vestes nentes splendidas [3]: — quidni Thetis in ἀργυφέωι illo σπέεϊ vestes νεκταρέασ — sic ab ipso poeta vocantur [4]) — filio neverit adiuvantibus sororibus? Matrum utique id officium, et facilius illic quam in Pelei megaro cum ancillis mortalibus telam obeuntem eam fingimus.

An satius est non tam anxie talia perpendere? Fortasse, neque obloquar si quis perhibeat poetam non rogasse nunc unde dea marina arcam habuisset, unde vestes et poculum. Ipse poeta requirit illud poculum, ergo suo tempore sibi parat, quemadmodum in scena comica adesse solent quaecunque requiruntur, etiamsi non satis liqueat unde tam subito potuerint peti. Utut id est, nihil valent hi versus ad corrumpendam imaginem deae marinae filium terrestrem eminus studiosissime tuentis et prolis voce querula audita identidem e maris aestu emergentis.

Sed fuere qui putarent eam tum demum, cum filius iter suscepit, e Pelei aedibus in mare rediisse [5].

Cur putarunt?

Propter decem scilicet belli annos istos! τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο! Dum protrahitur belli tempus, succrevit Achilli filius Neoptolemus [6], Peleus autem — cum ceteris regibus ipsoque Achille! — in diem senior est factus. Itaque iam visus est ille γήραϊ λυγρῶι ἀρήμενοσ κεῖσθαι ἐνὶ μεγάροισι [7], — οὐκέθ' ἡδὺσ ὢν τὴν νύκτα παννυχίζειν!

---

[1]) Bacchyl. XVII 36 sq.

[2]) Si recte interpretor papyri litteras vitiosas *ΑΜΦΕΒΑΛΑΕΝΑΙΟΝΑΠΟΡΦΥΡΕΑΝ* Bacchyl. l. l. vs. 112.

[3]) ν 108.

[4]) Σ 25.

[5]) Etiam in Elardi Hugonis Meyeri, viri sagacis, de Achilleide libro eruditissimo huius opinionis percipitur echo: „Thetis wohnt wieder bei ihrem Vater" (Achilleis p. 414) „nachdem ihr Sohn vor Troja gezogen ist" (p. 424); „die Ilias erklärt in allerdings höchst ungenügender Weise die Trennung der Eltern aus dem Wegzug des Sohnes in den Krieg" (p. 426). — Immerito nunc culpari Iliadis poetam, nihil enim eiusmodi in illo carmine legi, ostendisse me spero.

[6]) Iliadis locis duobus manifeste interpolatis (*T* 326—333 *Ω* 467) dicitur *puer*, in Odyssea iuvenis *adultus* (*λ* 492 sqq.).

[7]) Σ 434 sq. *T* 326—337. Cf. cap. I pag. 20, 6.

Quid mirum si tunc refugit eum Nereis, ut Tithonum Aurora... non in priscis quidem carminibus [1]), sed in hymno quem meminimus Homerico [2]).

At nihil ista ad poetam Iliadis. Cui Peleus non est senex capularis. Is cuius filio unico intonsa etiam esset caesaries nondum γήραϊ στυγερῶι ἀκαχημένοσ fuit, sed vitae culmen vixdum attigerat. E fabula quae est de bello Troiano exime decem annorum illud intervallum, quo poesi maiora quam Ilio illata sunt damna, — et quicquid fundamenti huic opinioni subesse videri potuit simul subducitur. „Thetidem συμβιῶναι Πηλεῖ num recte statuerit Aristarchus potest dubitari" prudenter, sed nimis caute, scripsit Gieseke in Ebelingi Lexico Homerico: dicamus potius, οὐδὲν ὑποστειλάμενοι ἀλλὰ παρρησιαζόμενοι, non posse dubitari quin perperam Aristarchus ita statuerit.

Aristarchum vero sequere . . et mox subibit rogare cur non plures igitur Thetis liberos pepererit Peleo? Respondebit autem Lycophron „septem enixam filios, sed sex igne combussisse, unum Achillem felici casu servatum" [3]). Et fortasse Lycophron, vel potius fontes turbidi unde et has delicias et alias bene multas ille hausit [4]), crebram hanc Thetidis prolem duxerunt ex ipsius Thetidis ad Vulcanum verbis, quae supra attulimus, male intellectis: „ἔτλην ἀνέροσ εὐνὴν πολλὰ μάλ' οὐκ ἐθέλουσα". Ubi si quis πολλὰ μάλα illud non cum verbo οὐκ ἐθέλουσα iungebat, sed musis invitis interpretabatur μάλα πολλάκισ, fieri vix poterat quin ex illo errore μάλα πολλοὶ mox nascerentur Thetidis liberi.

Nos istis nugis missis redeamus ad Thetidis aedes marinas, unde dura sorte aliquando abrepta βροτῶι ἀνδρὶ ἐδαμάσθη, quo mox rediit contumeliam sibi illatam indignata; ubi vixit virgo, vixit mater futura, vixit mater filio gaudens praestantissimo, vixit mater filio

---

[1]) Cf. Δ 1 • 1.

[2]) H. Ven. 226—231.

[3]) Lycophr. Alex. 178. Aegimine carminis poeta fuit primus auctor fabula, quam invito Homero (Ω 540) fictam esse vix opus est hic observari? Cf. Hes. fr. 185. Alienus autem hinc est versus Π 175, ubi quae commemoratur Polydora, Pelei quidem (si sanum illud nomen) dicitur filia, sed matrem ea quam habuerit non apparet. Thetidis filiam nemo, ut opinor, eam dixit, nemo dicet.

[4]) Cf. schol. Apoll. Rh. IV 814.

orbata, postquam vitae terrestri aliquantisper intermixta cognitas habuit mortalium aerumnas. Illic, in fluctuum avitorum latebris, hospitium aliquando praebuit Vulcano. Quem ad uxorem de ea re audiamus referentem:

ἦ ῥά νύ μοι δϝεινή τε καὶ αἰδοίη θεὸσ ἔνδον,
ἥ μ' ἐσάωσ', ὅτε μ' ἄλγοσ ἀφίκετο τῆλε πεσόντα
μητρὸσ ἐμῆσ ϝιότητι κυνώπιδοσ, ἥ μ' ἐθέλησε
κρύψαι χωλὸν ἐόντα. τότ' ἂν 'πάθον ἄλγεα θυμῶι,
εἰ μή μ' Εὐρυνόμη τε Θέτισ θ' ὑπεδέξατο κόλπωι,
Εὐρυνόμη, θυγάτηρ ἀψορρόου 'Ωκεανοῖο.
τῆισι πάρ' εἰνάϝετεσ 'χάλκευον δαίδαλα πολλά,
πόρπασ τε γναμπτάσ θ' ἕλικασ κάλυκάσ τε καὶ ὅρμουσ,
ἐν σπέεϊ γλαφυρῶι, περὶ δὲ ῥόοσ 'Ωκεανοῖο
ἀφρῶι μορμύρων 'ρέεν ἄσπετοσ· οὐδέ τισ ἄλλοσ
'ϝείδεεν οὔτε θεῶν οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων,
ἀλλὰ Θέτισ τε καὶ Εὐρυνόμη 'ϝίσαν, αἵ μ' ἐσάωσαν [1].

Hos versus excripsi nunc eam potissimum ob causam, quod melius etiam inde cognoscuntur Thetidis aedes; simul tamen ut manifesto quod quidem videtur contagio eos liberarem. Paratissimum se ait Vulcanus ad gratiam si possit referendam deae quae ipsum olim servaverit. Quid autem altera illa dea, cuius fit mentio in textu tradito? Eurynomen spatiosissimae dicionis dominam novimus; quam sive dicionis terrestris sive marinae dominam dicere lubet, haud difficulter agnoscimus Matrem illam, quae e gremio feraci viventia quaevis edit et edita recipit rursus; agnoscimus etiam in Odyssea, licet in ancillam thalami herilis custodem illic abierit [2]. Sed nunc quid sibi vult illa? Nonne hinc facessat? Nil hic habet quod agat. *Thetidi* rependuntur gratiae: de *Eurynome* tacendum, ut de Thetidis sororibus, de Amphitrite, de ceteris maris numinibus.

Nempe alia fabula ab Eurynome in ora Oceani, alia a Thetide in maris recessu ignis deum ferebat servatum: hanc poeta noster aut solam notam habuit aut sola ea usus est, cantor vero recentior invexit Eurynomen invito Vulcano ipsaque invita grammatica! An satis tolerabilis videtur „numerorum enallage'' illa: „*Eurynome*

---

[1]) Σ 394 sqq.

[2]) Cf. cap. II pag. 80 sq., „de Boogschutter en de Weefster" pag. 84—87 et annot. 303—315.

et Thetis me servavit"? Expulsis demum verbis quae omittam simplex fit narratio et huic loco apta:

ἦ ῥά νύ μοι δϝεινή τε καὶ αἰδοίη θεὸσ ἔνδον,
ἥ μ' ἐσάωσ', ὅτε μ' ἄλγοσ ἀφίκετο τῆλε πεσόντα
μητρὸσ ἐμῆσ ϝιότητι κυνώπιδοσ, ἥ μ' ἐθέλησε
κρύψαι χωλὸν ἐόντα· Θέτισ δ' ὑπεδέξατο κόλπωι.
τῆι δὲ πάρ' εἰνάϝετεσ 'χάλκευον δαίδαλα πολλά,
πόρπασ τε γναμπτάσ θ' ἕλικασ κάλυκάσ τε καὶ ὅρμουσ,
ἐν σπέεϊ γλαφυρῶι, κόλπωι ἁλόσ [1]. οὐδέ τισ ἄλλοσ
'ϝείδεεν οὔτε θεῶν οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων.

Et nunc demum prorsus congruunt hi versus cum Diomedis de Dionyso verbis:

Διώνυσοσ δὲ φοβηθεὶσ
'δύσεθ' ἁλὸσ κατὰ κῦμα, Θέτισ δ' ὑπεδέξατο κόλπωι
δεδϝιότα [2].

Tunc quoque, cum Lycurgus deum iuvenem eiusque comitatum femineum 'σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον, mare habitavit Thetis, neque unquam alibi habitasse eam crediderunt prisci poetae [3].

---

[1]) Hoc exempli tantum scripsi gratia.

[2]) Ζ 135 sqq.

[3]) Ergo Π 574—576, ubi de Epigeo haec scripta leguntur:

εἰσ Πηλῆ' ἱκέτευσε καὶ εἰσ Θέτιν ἀργυρόπεζαν·
οἵ δ' ἅμ' Ἀχιλλῆϊ ῥηξήνορι 'πέμπον ἕπεσθαι
Ϝίλιον εἰσ εὔπωλον,

aut manui interpolanti debetur Thetidis nomen, — potuit autem dici e. g.:

εἰσ Πηλῆ' ἱκέτευσ', ὃ δέ μιν πρόφρων ὑπέδεκτο
καί ϝ' ἅμ' Ἀχιλλῆϊ ῥηξήνορι 'πέμπεν κτέ., —

aut sic haec sunt interpretanda ut Thetidis *sacellum*, τὸ Θετίδειον illud, cuius mentio fit in Euripidis Andromacha dramate, supplex adierit Epigeus, dein Thetide iubente a Peleo fuerit receptus.

VII.

DE NESTORIS AETATE [1].

In Victoris Hugonis quodam dramate „tace, iuvenis!" pater nonagenario maior increpat filium septuagenarium [2].

Similisne intercedit ratio inter Nestorem Homericum et Antilochum? Itane „νέοσ" hic a sene dici intellegendus est:

„ἦ τοι μέν σε νέον περ ἐόντ' ἐφίλησαν
Ζεύσ τε Ποσειδάων τε" [3]?

Tale quid si quis rogaret Homeri studiosos, quilibet rideret eius imperitiam neque castigare duceret operae pretium. Verus profecto iuvenis semper visus est Antilochus, Achillis sodalis generosissimus, fortissimus, laudis avidus, ut ille morte immatura abreptus, quem seniorem fingere sibi nequit quicunque carminum epicorum veterumque mythorum non plane est ignarus [4].

At florido huic iuveni fuit pater cui

δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἵ ϝοι πρόσθεν ἅμ' ἔτραφον ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλωι ἠγαθέηι, μετὰ δὲ τριτάτοισ' ἐϝάνασσε [5].

Ergone grandaevus Nestor et annis non fractus quidem sed onustus ἠράσθη . . . non ὡραίασ σοροῦ sed Εὐρυδίκησ Κλυμένοιο θυγα-

---

[1]) Primum edita est haec commentatio in Mnemosyne, 1⁰ Ian. 1907.

[2]) „Jeune homme, taisez vous!" — V. H., les Burgraves.

[3]) Ψ 306 sq.

[4]) Menelao *multo iuniorem* se vocat ipse Ψ 587.

[5]) Λ 250 sqq.

τρόσ, a patre eam in matrimonium accepit, dein *υἷασ ἀϝολλέασ* cum ea genuit?

Odysseam autem cum perlegimus, apparet eum vigesimo anno postquam cum filiis in bellum Troianum est profectus etiam Pyli regnasse, *quartae* igitur potius quam tertiae hominum aetati tunc imperantem. Laetis tamen epulis etiamtunc illic praefuit inter liberos suos assidens partim iuventutis annos nondum egressos [1].

Satisne haec inconcinna? Aptius vix invenias exemplum ad demonstrandum id quod nimis saepe dici demonstrarive nequit, quoniam maximum semper est periculum ne id obliviscamur dum carmina epica perlegimus, licet probe sciamus omnes: poesi vetustae perniciosissima fuisse studia genealogica sive chronologica. Nunc quoque patet ad quam inepta deveniamus dum temporum habeamus rationem.

Ergone ipsorum poetarum aut culpa haec fuit aut neglegentia? An nos culpandi sumus, utpote poetis denegantes illam fingendi et si res ferat non sibi constandi libertatem, sine qua langueat eorum ars et torpeat?

Grave crimen et saepe auditum, — quippe prolatu facillimum aptumque ad nodosissimas quasque disquisitiones praecidendas! At persuasissimum est de priscis vatibus non nos nunc iniquius iudicare, sed illos — si qui sint etiam — qui tam absurda ab iis ficta esse in animum sibi inducant. Corruptus a recentioribus est veteris carminis nitor, vel potius, non intellecta sunt quae cecinerunt olim poetae.

Reputemus modo quae de Nestore ferunt Ilias et Odyssea. Non apparet illic silicernium a Morte veluti derelictum, sed vir senior inter iuniores, pater inter filios, aequalis Pelei et Priami et Agenoris ceterorumque senatorum Troianorum, eam iam agens vitae partem qua animo mortalium *τὸ γῆρασ ἐντίϑησι νοῦν*, qua deferbuit aetas iuvenilis, confirmata est mens; qua vixdum decrescere coeperunt vires corporis, creverunt autem animi vigor et prudentia. Minus iam Nestor est agilis quam fuit olim adolescens, tardiora ei, ut Idomeneo *τῶι μεσαιπολίωι* [2]), fiunt genua: itaque laborum Martiorum

[1]) Pisistratum dico et Polycasten.

[2]) *N* 512 sq.

partem maiorem iunioribus nunc relinquit, — idem tamen *πόνου οὔ ποτε λήγων* [1]) satisque, ut ille, etiam strenuus ad invadendos repellendosve hostes, si res id ferat. Compositam aetatem, *τὴν καθεστηκυῖαν ἡλικίαν*, etiam agit: nondum versus vesperam ei vergit vitae lux, sed etiam in medio perstat caelo. Non „*κατέχειν*" igitur *ἑαυτὸν τὸ γῆρασ*, non *subiectum sibi senectutem se tenere* dicit ipse, sed „*ἱκάνειν*", *appropinquare sibi* [2]) — dona afferentem haud contemnenda. Numeri si requiruntur, dicamus sexagenarium vel paulo maiorem natu, *ἕνα τῶν τετταράκοντα* fere *ἀφ' ἥβησ*, ut posteri loqui solebant [3]). Talem videmus in castris ante Troiam, et decennio post etiam vegetum in Odyssea videmus Pyli genti suae imperantem.

Summa autem in bello ei est auctoritas, maxima enim rerum bellicarum est peritia. Verbis iam plus valet quam lacertis, lingua quam pedibus manibusve promptior, dux igitur tanto nunc quam olim utilior quanto mens praestat corpori. Minime tamen torpent ei manus, et licet non omnino *ἔμπεδοσ* ei permanserit *βίη* [4]), etiam pergit in pugna uti clipeo illo, quo nullus ea aetate fuit clarior [5]), et post pugnam poculo illo, quod auditores vix moturos fuisse ait poeta [6]); sed hastas torquere, currere, inter hostes circumsultare — *αἰχμὰσ αἰχμάζειν καὶ μέλπεσθαι Ἄρηϊ* — iuniorum est: seniorum est consilia inire, copias disponere et exhortari, castra tutari.

Et rem provisam quoniam haud invita sequuntur verba, in paucis est disertus: ipse enim vitae usus disertum fecit. Itaque in regum consilio, cum Achivos a Troianis profligatos domum redire iussit Agamemnon animum despondens, Diomedes autem iuvenis fortissimus strenuis verbis vetuit id fieri, ad hunc conversus Nestor leni oratione:

---

[1]) *K* 164.

[2]) „*τότε κοῦροσ ἔα, νῦν αὖτέ με γῆρασ ἱκάνει*"

Δ 321. — Quod verbum viro multis annis gravato, qualis fingi solet Nestor, cum parum convenire sentiret Aristarchus, scripsit *ὀπάζει*, id quod legitur *Θ* 103 — in *Ulixis* ore ibi aptissimum.

[3]) Cf. e. g. Xen. Hell. VI 4 § 17.

[4]) *Δ* 314 *H* 157 al.

[5]) *Θ* 192 sq.

[6]) *Λ* 637.

„οὔ τίσ τοι τὸν μῦθον ὀνόσσεται, ὅσσοι Ἀχαιοί,
οὐδὲ πάλιν ϝερέει· ἀτὰρ οὐ τέλοσ ἵκεο μύθων.
ἦ μὲν καὶ νέοσ ἐσσί, ἐμὸσ δέ κε καὶ πάϊσ εἴησ
ὁπλότατοσ γενεῆφιν· ἀτὰρ πεπνυμένα βάζεισ
Ἀργείων βασιλῆασ, ἐπεὶ κατὰ μοῖραν ἔϝειπεσ.
ἀλλ' ἄγ' ἐγών, ὃσ σεῖο γεραίτεροσ εὔχομαι εἶναι,
ἐκϝείπω καὶ πάντα διίξομαι" [1]) —

et auctor extitit ut legati mitterentur ad exorandum Achillem.

Primis autem vitae annis quae adspeximus et experti sumus quoniam maiora pulcriora dulciora quam quae aetas attulit provectior obversari solent memoriae adultorum, fieri non potest quin laudatores temporis se pueris acti fiant senes: — factus est etiam Nestor, qui res ab aequalibus suis tunc cum ipse esset iuvenis gestas libentissime solet enarrare [2]), τοὺσ προτέρουσ ἐκείνουσ posterioribus sive patres filiis proponens exempla vix et ne vix quidem ipso iudice assequenda. Aliter nimirum iudicat aetas maturior, aliter recentior; nam Sthenelus adolescens ferox patrum illas laudes impatienter ferens suoque robore confisus

„ἡμέσ τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονεσ εὐχόμεθ' εἶναι!"

exclamat [3]) — nec dubium, ut sunt homines atque fuerunt, quin multi cum illo de parentum aetate sic iudicaverint [4]).

Illi autem πρότεροι, quorum filii bellum gessere Troianum, qui fuerunt? Fuere Peleus et Menoetius, Tydeus et Atreus, Amarynceus et Iphiclus, fuerunt Iason et Admetus et Hercules, fuit

---

[1]) *I* 55 sqq. — Versum 59 suo iure notavit Heyne; etiam versus 58 an postmodo fuerit adiectus dubitari potest. Sed qui versus 57—59 damnabat Knight cum balneo — ut vicini nostri loquuntur — ipsum puerum abici iussit.

[2]) Et sic ipsi Iliadis poetae identidem fit facultas talia carmini suo inserendi.

[3]) *Δ* 405. Quae licet non ad Nestorem sed ad *Agamemnonem* dicantur, nostro tamen iure hoc versu nunc utimur.

[4]) Ex his quae disputavi apparet quatenus mihi conveniat cum Weizsaeckero in Roscheri Lexico Mythologico sic statuenti: „man bekommt den Eindruck dass die Epen in Nestor das Ideal eines Greises zeichnen wollten, [der durch sein Alter wie eine Reliquie aus einer älteren, noch heldenhafteren Generation in die jüngere hereinragt]". Ubi quae cancellis saepsi abesse malim. Nam *aequales* Nestoris quin multi tempore belli Troiani superstites fuerint Iliadis poeta minime videtur dubitasse: in bellum quidem illi non sunt profecti utpote seniores, sed domi manserunt; unus Nestor quamcunque ob causam filios in Asiam proficiscentes comitatus est. Fortiores autem *fuisse* Nestoris aequales quam Agamemnonis vel Achillis non ait poeta, neque putavit, opinor, sed ipsum Nestorem id *perhibere* fecit

Pirithous [1]), — ne plura nomina cumulando legentes fatigem ipsamque in qua versor disputationem turbem magis quam illustrem.

Ubi vero Nestor ille *trisaeclisenex* vel *ter aevo functus*, — quicquid id est! — qui vixit *annos bis centum* [2]) et amplius?

Carmina Homerica cum perscrutamur, missis poetis recentioribus, unum in Iliade locum — iam supra a nobis indicatum — invenimus ubi eiusmodi quid dicatur, unum inquam, sed in ea Iliadis is est parte, quae omnium longe notissima est semperque fuit. Nam quemadmodum etiam qui Homerum vel Herodotum plane ignorant, aliquando tamen audiverunt illud „*μῆνιν ἄειδε θεά*" vel „*Νείλου δῶρον Αἴγυπτοσ*", sic qui Iliadi aliquam operam impenderunt pueri, etiamsi parum profecerint nec multum valeant memoria, initium certe carminis, quo rixa canitur principum, sic satis cognitum habere solent et summam saltem rerum mente tenere. Itaque fieri non potuit quin talis potissimum Nestor ante hominum mentem versaretur qualis describitur illic:

τοῖσι δὲ Νέστωρ
ϝηδυϝεπὴσ ἀνόρουσε, λιγὺσ Πυλίων ἀγορητήσ,
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσησ μέλιτοσ γλυκίων 'ρέεν αὐδή.
τ ῶ ι δ' ἤ δ η δ ύ ο μ ὲ ν γ ε ν ε α ὶ μ ε ρ ό π ω ν ἀ ν θ ρ ώ π ω ν
ἐ φ θ ί α θ', ο ἵ ϝ ο ι π ρ ό σ θ ε ν ἅ μ' ἔ τ ρ α φ ο ν ἠ δ' ἐ γ έ ν ο ν τ ο
ἐ ν Π ύ λ ω ι ἠ γ α θ έ η ι, μ ε τ ὰ δ ὲ τ ρ ι τ ά τ ο ι σ' ἐ ϝ ά ν α σ σ ε.
ὅ σφιν ἐῢ φρονέων ἀγορήσατο καὶ μετέϝειπε [3]).

Sed facile sentimus tres illos versus clarissimos, quos diductis litteris insignivi, sine contextus detrimento omitti posse meliusque adeo omitti. Et quoniam cum ea quam supra e carminibus epicis effecimus Nestoris imagine parum congruunt, postmodo quin fuerint inserti aut mutati non videtur dubium.

At reicere quae displiceant temerarii est critici? Odysseam igitur inspiciamus; cui carmini capularis senex Nestor aeque ignotus est atque Iliadi, licet decennium ad minimum inter res quae in hoc et quae in illo carmine narrantur intercessisse sumatur. Hoc quoque

---

1) *Α* 263.
2) Ovid. Metam. XII 188.
3) *Α* 248 sqq.

epos unum habet locum ubi trium illarum aetatum fit mentio: uno Odysseae versu Nestor dicitur tertiae iam hominum aetati imperare, sed ille versus tam male est factus ut interpretibus editoribusque nunquam non visus sit spurius nec facile defensorem sit inventurus. Locum quem dico hic est (Telemachi sunt verba):

νῦν δ' ἐθέλω ϝέποσ ἄλλο μεταλλῆσαι καὶ ἐρέσθαι
Νέστορ', ἐπεὶ περὶ ϝοῖδε δίκασ ἠδὲ φρόνιν ἄλλων·
[τρὶσ γὰρ δή μιν φασὶ ϝανάξασθαι γένε' ἀνδρῶν].
ὥσ τέ μοι ἀθάνατοσ ϝινδάλλεται εἰσοράεσθαι.

Balbutientis est illud: „*ter generi hominum imperavit*". Itaque optimo iure hunc versum obelo notavit Aristarchus [1]).

In Odyssea autem quod factum est, id Iliadis loco simillimo — nam primum in Odysseae hac parte prodit Nestor, ut in Iliadis ea parte de qua supra verba fecimus — quin potuerit fieri et revera factum sit dubitare pergimus?

Tertius hic indicandus est locus quidam libri *Λ*. Quo loco Nestor rerum praeteritarum memoriae indulgens fuse narrat quae in patria olim egit iuvenis. Pylii cum res suas repetentes Epeorum rapuissent armenta, hi magno exercitu eorum regionem invaserunt, sed a Pyliis profligati sunt, et iuvenis Nestor, quem armari curruve pugnare pater Neleus noluerat utpote belli nondum satis peritum, pedes tamen praelium iniit et strenua ibi facinora edidit plurima. Optime haec inter se cohaerent; sed rerum narratarum rationem mire turbant versus nonnulli. „Multa Epeorum armenta rapuerant Pylii, itaque horum rex Neleus impense gaudebat et convocavit cives qui e praeda suum repeterent singuli,

πολέσιν γὰρ 'Επειοὶ χρῆοσ ὄφειλον".

Hactenus obscuri nihil; at sequuntur haec:

ὡσ ἥμεσ παῦροι κεκακωμένοι ἐν Πύλωι ἦμεν.
ἐλθὼν γὰρ ἐκάκωσε βίη 'Ηρακλεεείη
τῶν προτέρων ϝετέων, κατὰ δ' ἔκταθεν ὅσσοι ἄριστοι.
δώδεκα γὰρ Νηλῆοσ ἀμύμονοσ υἱέεσ ἦμεν·
τῶν οἶοσ 'λιπόμην, οἳ δ' ἄλλοι πάντεσ ὄλοντο.

[1]) γ 245. Etiam versus 244 et 246 damnabat Aristarchus: rectene an secus, non quaero nunc.

ταῦθ' ὑπερηφανέοντες 'Επειοὶ χαλκοχίτωνες
ἡμέας ὑβρίζοντες ἀτάσθαλα 'μηχανάοντο [1]).

Qui versus suntne postmodo adaucti, olim autem haec sola fuere:

ὡς ὑπερηφανέοντες 'Επειοὶ χαλκοχίτωνες
ἡμέας ὑβρίζοντες ἀτάσθαλα 'μηχανάοντο?

Veri id videtur dissimile coll. alio Iliadis loco, ubi de Hercule dicitur: *Ditem*

ἐν Πύλωι ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκε [2]).

Si autem genuini et integri sunt omnes, ipse poeta duas fabulas permiscuit. Nam a narratione, quae Neleum haberet superstitem, aliena fuit mentio urbis Pyli ab Hercule expugnatae; qui cum necavit ὅσσοι ἄριστοι, non filios solos Nelei undecim [3]) tunc ab eo trucidatos, sed et ipsum Neleum, ut Eetionem ab Achille vel Priamum a Pyrrho, cum ratio docet — nam νήπιος ὃς παῖδας κτείνων πατέρας καταλείπει! — tum dixere qui fusius illam fabulam enarrarunt [4]). Unus tunc Nestor — secundum recentiores quidem — ἄλυξεν ἐν ἀνθεμόεντι Γερήνωι [5]) ibique educatus est puer. Itaque versui vicino, ubi Neleus re a filio strenue gesta laetatus esse dicitur [6]), diplen appinxit Aristarchus, „ὅτι διαφωνοῦσιν οἱ νεώτεροι, τὸν Νηλέα λέγοντες ἀνῃρῆσθαι ὑφ' Ἡρακλέους", suo iure annotans fabulas de Neleo narratas inter se non concinere; sed neque ipsum Homerum hoc loco satis sibi constitisse, id eum fugit.

Ab Homero aliena esse quae apud recentiores feruntur de Nestore belli Troiani tempore nonagesimum fere aetatis annum agente vel etiam natu maiore, luculenter apparuit, nec nisi uno loco, qui est circum Iliadis initium, eam niti opinionem.

Unde igitur mira illa verba nata? cur invecta?

Aut egregie fallor aut cantor, cui debentur molesti quos attuli-

---

[1]) Λ 689—695.

[2]) Ε 397.

[3]) Non nisi tres ei tribuuntur in Odyssea λ 286 sq.:

Νέστορά τε Χρομίον τε Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον,
τοῖσι δ' ἐπ' ἰφθίμη Πηρώ.

[4]) Apollodor. II 7, 2 § 3.

[5]) Hesiod. fr. 16.

[6]) Λ 683.


mus versus, id quod antiquior poeta dixerat non satis intellectum suis verbis male reddidit.

„Nestor iuvenis olim inter patris aequales regnavit, — ipse enim pater ad senectutem non pervenit, — dein inter suos ipsius aequales regnavit vir maturus et ante Troiam filiis suis horumque aequalibus imperavit pater ipse, *τριτάτοισι ϝανάσσων*." — Haec priscus vates. Quae res inauditi habet nihil neque eo consilio a poeta fuit commemorata ut admiratione percellerentur audientium animi, sed ut indicaretur Nestoris egregia peritia, longo usu per regnum diuturnum parta. „*Senem audite iuvenes*" — sic fere Nestor milites Atridarum affari solet — „*quem iuvenem audivere senes!*" — Quae vero in Iliade loco laudato leguntur ne intellegi quidem possunt; nam *duae aetates* hominum Nestori *ἅμα τραφήμεναι ἠδὲ γενέσθαι* illic dicuntur: — *simulne* igitur nascuntur patres cum liberis? Non totus tamen locus molestus est, sed sola *φθίσθαι* et *ἅμα* sic usurpata officiunt. Dicendum erat: *τούτωι δὲ ἡ μὲν ἔφθιτο γενεὰ βασιλεύοντι, ἡ δὲ ἔτι διέζη τῶν ἅμα αὐτῶι γενομένων, ἡ δὲ ἐπεγένετο, ὥστε τρίτοισ ἤδη ἐβασίλευε*. Quemadmodum Calchas vates a dis edoctus norat *τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα*, sic Nestor rex ipsa vita edoctus cognitos habebat *τούσ τ' ὄντασ ἤδη ἄνδρασ, τούσ τε μετ' ὀλίγον μὲν ἐσομένουσ νῦν δὲ νεωτέρουσ ἔτι ὄντασ, τούσ τε πρότερον ὄντασ*, sive: *τούσ τε ἑαυτοῦ ὁμήλικασ τούσ τε τῶν παίδων τούσ τε τοῦ πατρόσ*.

Haec dicere debuit priscus poeta, nec dubito quin dixerit; sed suis verbis quomodo dixerit nescio.

At aevo recentiori rerum mirabilium appetenti nimis simplicia talia sunt visa. Crevit autem aetas regum Troiam oppugnantium dum ipsarum fabularum quae erant de bello Troiano crevit ambitus: — res notissima, a nobis quoque saepius indicata. Nestor simul cum Pyrrho Achillis filio Troiam decimo anno belli capere non potuit nisi grandaevus tunc esset admodum; decimo anno post captam Troiam Telemachum hospitio accipere non potuit nisi nonagenarius tunc esset fere. Itaque dum latius latiusque diducitur orbis varias fabulas complexus et ordine chronologico sive — nam eodem id redit — genealogico inter se utcunque iunguntur diversissima, etiam Nestoris imago — ut Achillis vel Helenae — corrupta est.

Simillima postea acciderunt in tragoediis. Nam de Tiresia — ut hoc utamur exemplo — quae poetae tragici in variis fabulis diversa suo iure rettulerunt cum a mythographis inter se sunt colligata, repertus est Tiresias tragicus *μεχρὶ ἓξ γενεῶν παρατείνασ τὸν βίον* [1]. Euripides videlicet apud Archelaum Macedoniae regem degens *ἐπεὶ τούτωι χαριζόμενοσ δρᾶμα ἔγραψεν ὁμώνυμον, τὸν Τειρεσίαν παρεισήγαγε βεβιωκότα πέντε γενεῶν πλέον* [2], — una enim post Heraclidarum reditum aetate etiam superstitem. Et fortasse Heraclidarum ille reditus etiam in Nestoris natalibus computandis errorum causa extitit; hos enim fugientes in Atticam venisse dicebantur Nelidae Melanthus, Alcmeon, Paeonis filii duo, Pisistratus, quorum hoc ferebatur stemma [3]:



ita ut Neleus sextae ante reditum Heraclidarum aetati adscriberetur si Melanthi haberetur ratio, quintae si Alcmeonis, quartae si Pisistrati, Nestor autem quartae si Alcmeonis, tertiae si Pisistrati [4].

Sed neque urgenda haec videntur neque ulterius persequenda; quamquam anonymos illos Paeonis filios et Pisistratum alterum ad explendos stemmatis locos vacuos excogitatos esse satis luculenter patet.

Quae vero disputavimus ut paucis etiam verbis comprehendamus, *γέροντα* Nestorem poeta Iliadis cecinit fere sexagenarium,

---

[1]) Lucian. Macrob. § 3.

[2]) Agatharchides apud Phot. Bibl. 444 b.

[3]) Pausan. II 18.

[4]) Quae discrepantia ita solet explicari ut Periclymenus, a quo oriundus fuit Melanthus, ceteris Nelei filiis natu maior fuerit, Pisistratus autem eiusque pater cognominis nec non eius avus Nestor inter ipsorum fratres fuerint natu minimi (cf. Roscheri Lex. Myth. III p. 111).

cum Dicaeopolide igitur comico vel cum Strepsiade vel cum Pisetaero comparandum, non cum Euripideis illis senibus, qui „ὄχλον καὶ σχῆμα" vel „φωνὴν καὶ σκιὰν" vocare se solent [1]). Non malorum maximum senectutem habet Nestor Homericus, sed bonorum maximum senectus ei attulit prudentiam. Ab Oeneis Amphitryonibusque cothurnatis tantum distat quantum epici vatis ars hilara distat a tragici ingenio tristi atque moroso.

---

[1]) Eur. fr. 25, 512. Cf. et vWilamowitz Herakles[1] II p. 71.

VIII.

DE ULTIMO HECTORIS CUM UXORE COLLOQUIO [1].

Iliadis nulla unquam pars maiore admiratione perculit animos audientium vel legentium quam Hectoris in pugnam redituri illud cum Andromache colloquium, quod in libro VI° resplendet purissimo artis poeticae lumine perfusum. Quod qui fecit, quin summis quos gens humana vidit poetis esset annumerandus nemo aut dubitavit unquam aut dubitare potuit. Itaque in disputationibus quae de Iliadis origine et compositione habentur firmus hic praebetur locus quaerentibus *ποῦ στῶσι*, et optime de Homero meritus est Naberus noster cum huc praesertim mentis acumen advertere philologos iussit [2]. Nam fieri non potuit ut verus ullus poeta, nedum tam egregius poeta quam fuit is cui haec priscae poesis gemma debetur, heroem in pugnam redeuntem uxori sic valedicere et ut vita iam functum ab ea defleri fingeret, si mox eum vita salva ad suos esset reducturus. Poeta nisi ultimum esse hoc coniugum colloquium voluit, verus non fuit poeta neque potuit fingere illud quod omnes novimus et admiramur colloquium. Veri pulchrique sensus aut nihil valet aut hic valet aliquid. Non epos sed satyricum aliquod drama vel comoediam tenere nos credemus, si Hector sub vesperam redux ad Andromachen illam, quam anxiam et flentem reliquisset, „pone metum" clamet: „en adsum vivus et integer,

---

[1]) Primum prodiit haec commentatio in Mnemosyne, 1° Oct. 1910.

[2]) Anno 1877, Quaest. Hom. p. 156.

ne vulnere quidem accepto". Cena dein vespertina coniuges domi fruentes videre nobis videbimur; Scamandrius puerulus galeae paternae cristam, quam in patris capite nutantem tantopere reformidabat, ridens contrectabit ... et sic in iocos ineptos abibunt quae gravia et pulcherrima duxeramus; cras autem si relegamus illa: „δαιμόνιε, φθίσει σε τεὸν μένος" et quae sequuntur, pectus nostrum tenerrima maestitia denuo perfundi non sinemus, sed: „stultus es: seria non agit poeta, vitae periculum heroi instare videtur tantum, non instat: bene erit mox!" nos ipsi increpabimus, si lacrimula oboriri velit tamen.

Saepius perpensa haec ut denuo mecum perpenderem nuper me movit commentatio quaedam Erici Bethe [1]), qui ab eo loco quem Naberus indicaverat profectus demonstratum ivit libri VI[1] partem eam, ubi Hector inducitur Paridem et Helenam visens et mox cum Andromache colloquens, alienam esse a vicinia in quam iam reperiatur recepta; extitisse olim carmen aliquod antiquius, a cuius poeta Hector in urbem non eo consilio remitteretur ut Hecubam Minervae sacra ferre iuberet, sed ut Paridem in pugnam secum abduceret; dein Hectorem ab Achille interemtum esse, ipsum autem Achillem sagitta a Paride transfixum.

A quo viro docto quoniam dissentio neque sine iusta causa dissentire mihi videor, rem hoc loco quam potuero accuratissime denuo explorare conabor.

Et statim quidem initio disputationis Bethianae lectis verbis laetae spei plenis: „tandem eo rediimus philologi ut unum car„men ducamus Iliadem, certi alicuius artificis opus" [2]), „δέχομαι τὸν οἰωνόν!" exclamavi: verum utinam sit aut mox fiat, philologis hodiernis tam firmiter quam priscis olim interpretibus hanc stare sententiam, quae uno abhinc saeculo sperni coepta est et abici. At mox, cum addita a Bethio haec vidi: Iliadis poetam illum „varia quae sibi praesto essent carmina antiquiora inter se iunxisse, certum quoddam consilium secutum" [3]), dubitare subiit an priora

---

[1]) Hectors Abschied von *Erich Bethe*. Apud Teubnerum 1909. — Separatim editum ex Abh. d. phil. hist. Kl. d. k. sächs. Ges. d. Wiss. XXVII p. 413—442.

[2]) „Wir haben uns endlich wieder daran gewöhnt, auch die Ilias als einheitliches „Gedicht zu betrachten, ... das Werk eines künstlerischen Willens".

[3]) „Die Vielheit selbständiger ... Vorlagen, die der Dichter planmässig zusammen„gearbeitet hat".

illa verba non satis recte accepissem; dein, cum poeta vocaretur „is qui opera aliena in unum redegisset" et „ordinasset" [1]), cum Ilias diceretur „constructa esse ex artis antiquioris operibus, quae „suo pretio aestimari nequeant nisi solvantur e contextu, in quem „ab Iliadis poeta fuerint coacta, dein sordibus purgentur" [2]), cum pars quaedam Iliadis negaretur esse „poetae opus inter se cohaerens" [3]), nimis cito me modo laetatum fuisse intellexi, et illud: „tandem rediimus" cett. quid igitur sibi vellet nescire me sensi. Sed id quoque intellegere mihi visus sum, ne ipsi quidem Bethio satis clara fuisse verba quibus uteretur; est autem res periculosa in tam ancipiti disputatione imaginibus indicare velle quae sit nostra sententia. Duas res permixtas hic cerno quae saepissime et cum maximo veritatis detrimento sunt permixtae, dico *carminis compositionem* et *carminis materiem*. Ipsum carmen, si verum sit carmen, unum est nec nisi integrum placere potest; materiem vero, qua poeta usus est, qui perscrutari cupit, is carminis partem aliquam resecat, archaeologiae non poesis studiosus, non quid poeta quam pulchre dixerit quaerens, sed quid homines ipso poeta antiquiores egerint, qui cultus, quae studia iis fuerint, similia plurima, — et optimo profecto iure in talia sedulo utilique labore multi inquisiverunt et inquirent; sed ad artem poetae vel ad carminis pretium aestimandum ea studia non pertinent. Et ad Bethii verba quae supra attulimus ut redeamus, „artis alienae opera „inter se coniungere" aut id est quod cuiuslibet est architectae, — ut ea, qua ille usus est, imagine et nos utamur, — qui e lapidibus componit aedificium ab ipso excogitatum, ad suum igitur opus efficiendum usus materie ab aliis sibi advecta; atqui de illo aedificio nihil praeter materiem rudem et arte carentem restabit si solvantur lapides et calce nudentur, fieri igitur non potuit ut Bethe eiusmodi quid significare vellet, — aut eius verba id dicunt quod per tres quatuorve eas hominum aetates, quae proximae

---

[1]) „Der Redaktor", „der Ordner", „der Verfasser".

[2]) „Erbaut aus Werkstücken die man muss herauslösen und den Mörtel abschlagen „um sie prüfen zu können."

[3]) „Es ist mir nicht zweifelhaft dass die Herbeiführung dieses Eindrucks beab„sichtigt ist von dem Manne, der diese Gedichte Γ—H 7 so zusammengestellt hat. „Denn eine einheitliche Schöpfung eines Dichters sind sie nicht".

praeterierunt, multi critici de Iliadis origine statuerunt: varia carmina aut carminum partes vi potius quam arte aliquando coacta esse in unius carminis fallacem aliquam speciem; operario litterarum perito, non artifici hanc deberi, non poetae sed viro vel viris id unum agentibus ut priscis artis operibus concisis [1]) et inter se utcunque iunctis unum inde confingerent maioris molis opus, de suo quam paucissima et fortasse ne unum quidem verbulum addentes. At haec opinio ut nostris diebus tandem aliquando revivisceret non fuit opus, nam et antehac diu vixit neque interim videtur intermortua fuisse.

Quid igitur? Ingenue dicam, a Bethio critico nimis sagaci provocans ad Bethium Homeri interpretem peritum, veri studiosum, pulchri amore ferventem. Hic cum Iliadem legit, admiratione perfunditur et ipse sibi — ut olim Wolfius — paene irascitur, qui verum se carmen tenere cum aliis negans textum traditum frustatim divellendum esse sibi persuaserit: ille dum liber libere suae mentis acumine uti sibi videtur, repetit quae didicit a philologis prioribus, non ab ipsa Iliade inquirendi et disputandi facto initio, sed ab aliorum de Iliade et de arte Homeri placitis. Agnosco errorem quo et ipse diu implicitus fui, fortasse et nunc implicor, dum in rectam viam rediisse me credo; quo dum eram implicitus, perperam — ingenue fateor — multa statui; quo fieri non potest quin per vitae partem maiorem minoremve detineamur omnes, quotquot e magistrorum dilectorum ore excepimus aliquando vel ex eorum operibus didicimus quae ipsis vera videbantur, non addicti in eorum verba iurare — et tamen identidem iurantes inscii, dum nostra proferre nobis videmur. Equidem iuris mei, ut spero, tandem factus et melius quam antea nonnulla nunc perspicere me ratus — *ἀπέστω δὲ Ἀδράστεια!* — aperte proloquor id quod est persuasissimum: quam primum emergendum esse e dubitationum et suspicionum illa palude, in qua nimis diu haeserunt studia Homerica, et tandem aliquando agnoscendum esse id quod addubitari nunquam debuit: solvi Iliadis — vel Odysseae — contextum non posse sine partium ruina; unum id esse carmen, ab uno poeta conceptum compositum elaboratum, quod suam sibi

[1]) „Werkstücke aus alten Kunstwerken herausgebrochen" vocat Bethe.

vitam vivat donec integrum id manere sinamus, moriatur et pereat et veluti inter manus contrectantium dilabatur si in partes aliquas id sive secundum artis lanioniae aliquam legem dissecare sive vi divellere conemur. Iliadem qui et unum carmen et carminum congeriem esse cum Bethio perhibet, aut verbis inanibus utitur, aut id dicit quod per se intellegitur neque a quoquam negatum est unquam: de nihilo fingi nihil; Iliadis poetam materiem sui carminis aliunde, ex antiquioribus igitur fabulis vel carminibus, haud raro inter se non concinentibus, duxisse, quemadmodum architecta ad struendam aedem, quam ingenio suo effictam mentis oculis prius vidit quam aequalibus suis ostendere eam potuit, lapidibus utitur ex officina aliena emtis, non ab ipso coctis aut e montis latere effractis, — nedum ex inani eos protulerit. Aedes autem cum erit erecta, singuli lapides inde eximi non poterunt sine ipsius aedis detrimento; quod si quis tentaverit tamen, studiis geologicis vel palaeontologicis vel chemicis intentus, fortasse perficiet quod sit operae pretium, sed architectae artem se non curare ostendet.

Sed cum Bethio res est *πολλὰ ἀνθ' ἑνός* — ut Socrates iocari solebat — ex Iliade carmina facere cum multis criticis conato. Qui commentationem his verbis clausit: „scire quidem non licet „qualem ambitum poeta, qui cecinit Hectorem uxori valedicentem, „carmini suo dederit, sed dubitari nequit quin carminis ei parti, „quae sola in Iliadis librum VI^um^ recepta ad nos pervenit, prae-„missa fuerint nonnulla unde auditores discerent res ab Achivis „et a Troianis ante gestas" [1]). Cui respondere haec velim: Optime collega, quae a nobis qui nunc vivimus ne coniectura quidem effici posse ais, ea cum tibi sunt cognita tum omnibus qui Iliadem legerunt. Nam res quas Achivi et Troiani ante gesserunt quam Hector cum Andromache ultimum est confabulatus, ab Iliadis poeta, qui et illud colloquium et ceterum carmen ex suo exprompsit ingenio, suo ordine sunt enarratae in priore carminis parte. Quam carminis partem in pauca verba sic contrahere licet:

---

1) „Wir können gar nicht wissen, ob der Dichter von Hektors Abschied ein grös-„seres Epos geschaffen hat. — Nur das ist gewiss, dass dem uns erhaltenen Stücke „einiges vorausgegangen war, die Verhältnisse und Voraussetzungen darzustellen, „auf denen der Dichter die Scene aufbaute, die ganz sein Werk ist, Hektors Abschied."

„Ante aliquot dies Achivi pervenerunt in Troadis oram, hodie „autem usque ad ipsam urbem sunt progressi, et postquam prin„cipes frustra conati sunt singulari Menelai et Paridis pugna prae„cidere bellum, ad manus est ventum." Et nunc uxori valedicit Hector, quem Andromache cum identidem respectat abeuntem, novissima ex ore mariti verba excepisse se sentit. Tum demum eum denuo est adspectura, cum caesum Achilles raptabit per planitiei pulverem.

Circa finem igitur libri *B* hoc colloquium potius fuisse habendum, tum cum in bellum Hector primum est profectus, dixerit quispiam; ego certe saepius mihi dixi. Indicari tamen posse videtur cur poeta illic non collocaverit. Initio libri *Γ* pugna instare creditur quidem, nondum tamen revera instat; languidius autem videretur illud colloquium, si non in caedem exinde rueret Hector, sed mox cum hostium principibus de induciis et pace deliberans adspiceretur. Ex urbe igitur eum prius emisit poeta, dein excogitavit causam, — non optimam fortasse, sed necessariam, — qua efficeret ut heros illuc etiam rediret. Iamque brevi post ipsius pugnae initium Hector uxori valedicit et eo tendit ubi Achillis hasta mortem ei est illatura. Quod autem non paucis horis post ultimum hoc „vale" sed quinto demum pugnae die occubuit, id nihil nunc ad rem. In mortem eum abire neque ad uxorem reversurum sentimus omnes, et illum heroem Achivum, qui patre et fratribus Andromachen orbavit, etiam marito eam orbaturum scimus, sciebant olim qui poetae aurem praebuerunt; dudum enim id inter omnes constabat in priscis carminibus traditum.

Sed ultimum quod diximus in Iliade re non comprobari creditur, et graviter eam ob causam vituperata est Iliadis compositio. At sic iniuria fit poetae. Certum quidem est id, quod claris modo verbis post alios professi sumus, sui dissimillimum factum esse poetam et poetae nomine vix etiam dignum videri, si Hectorem vivum ad suos deinde reduxerit, sed non minus certum est, Iliadis poetam nihil eiusmodi commisisse. Nam fecit Hector id quod ferebat officium illius viri qui *οἶοσ ἐρύετο Fίλιον*. Ducem se esse recordatus, non maritum tantum et patrem et filium, mansit eo qui ducis fuit loco per quinque illos dies, quos numina ei ultimos concesserunt. Copias neque interdiu reliquit — quod prorsus inep-

tum fuisset — neque noctu; cum iis primam noctem post praelium anceps transegit sub urbis moenibus, dein re prospere gesta longius in planitiem cum iis processit et haud procul a castris Achivorum pernoctavit. Ita ducis munere ut Hector functus fuerit flagitat sana mens, neque magnus requirebatur poeta ad excogitanda haec, quae quilibet lector ipse sibi potest dicere: ita autem functum narravit poeta Iliadis. Et tum demum cum copiae Troianorum ab Achille profligatae atque repulsae sunt et cum suis fugiens Hector usque ad urbis moenia recessit, tum demum eum expectavit uxor, per portam Scaeam eum cum ceteris in urbem se coniecisse rata; tum marito ingentibus laboribus defesso balneum parari iussit Andromache, — quem fortem et integrum in pugnam abeuntem morti deberi senserat, eum vivum ad se rediturum tum confidens cum Achilles Peliadem hastam in eum intorsit.

Satisne haec concinna? satisne apta ad permovendum audientium animum? Suntne magno poeta haec digna?

Quidni igitur dudum omnes haec ita enarrarunt?

Primo mirum quantum Iliadi nocuit legentium opinio illa praeconcepta, quae inter Graecos nunquam non viguit et inter recentiores etiamnunc plurimum valet, ante Iliadis exordium per novennium bellatum esse. Quam opinionem cum ipsa Iliade haudquaquam congruere supra demonstravi [1]), est autem permagni momenti haec res ad Iliadem suo pretio aestimandam.

Dein vero duo loci molesti sunt; quos si tales, quales extant in codicibus, fecit poeta Iliadis, corruit nostra argumentatio et ipsa mox Ilias corruere videbitur. Alter est hic:

παννύχιοι μὲν ἔπειτα κάρη κομάοντες Ἀχαιοὶ
ʼδαίνυντο, Τρῶες δὲ κ α τ ὰ π τ ό λ ι ν ἠδʼ ἐπίκουροι [2]).

Nam si post primum hunc pugnae diem Troiani et socii *in urbe* sunt epulati, etiam Hectorem in urbem et ad uxorem tum rediisse fert ratio. At lege κ α τ ὰ σ τ ρ α τ ό ν et apta fient omnia neque in urbis angustias cogendae denuo erunt creberrimae Troianorum et sociorum copiae.

Alter, qui cum superiore cohaeret, est is ubi narratur quid proximo die ineunte sit factum:

---

[1]) Cf. cap. I, pag. 17—30. [2]) *H* 476 sq.

Τρῶεσ δ' αὖθ' ἑτέρωθεν ἀ ν ὰ π τ ό λ ι ν ὡπλίζοντο
παυρότεροι· 'μέμασαν δὲ καὶ ὧσ ὑσμῖνι μάχεσθαι
χρηό' ἀναγκαίηι πρό τε παίδων καὶ πρὸ γυναικῶν.
π ᾶ σ α ι δ' ὠ ΐ γ ν υ ν τ ο π ύ λ α ι, ἐ κ δ' ἔ σ σ υ τ ο λ α ό σ,
π ε ζ ο ί θ' ἱ π π ῆ έ σ τ ε· π ο λ ὺ σ δ' ὀ ρ υ μ α γ δ ὸ σ ὀ ρ ώ ρ ε ι[1].

Hic quoque pro *ἀ ν ὰ π τ ό λ ι ν* legatur *ἀ ν ὰ σ τ ρ α τ ὸ ν*, et deleantur ultimi versus duo, quibus poeta iam fuerat usus loco multo aptiore[2], cum Troianos, quibus nuntiatum esset appropinquare exercitum hostilem, per cunctas portas in campum effundentes se pingeret.

Merae libidinis videntur quas proposui coniecturae? Fortasse non videbuntur reputantibus non coniecturae deberi illud *σ τ ρ α τ ό ν*, sed extare in versu vicino[3], dein ceteros versus conferentibus, unde de loco quem Troiani noctu obtinuerint aliquid possit effici. Qui hi sunt:

Cum Hector e pugna singulari cum Aiace inita salvus et integer abiisset, Troiani egregie sunt gavisi,

καί ϝ' ἦγον προτὶ ϝάστυ, ἀϝελπτέοντεσ σαὸν εἶναι,

laeti versus urbem eum duxerunt, non enim speraverant[4] *eum vita salva evasurum.* Non dicitur *in ipsam urbem* adductus esse Hector, neque mox eius fit mentio, cum *Τρώων καὶ Δαρδάνων ἠδ' ἐπικούρων ἀγορὴ γίγνεται ἐν πόλι' ἄκρηι παρὰ Πριάμοιο θύρηισι*[5], non *cunctorum* — quibus in summa arce locum fuisse nemo unquam in animum inducere sibi potuit, sed *ducum* et *senum*, qui cum ipso Priamo in urbe remanserunt. Ibi verba fecit Antenor, oblocutus est Paris, dein Priamus; Hector autem si adfuisset, ut Antenori assentiretur ferebat ratio. Dein Priamus *δόρπον ἑλέσθαι κατὰ πτόλιν* et *φυλακῆσ μνήσασθαι* iubet *seniores*[6], qui intra muros remanserunt, de Hectore autem ceterisque iunioribus mox[7]) haec dicuntur:

δόρπον ἔπειθ' εἵλοντο κ α τ ὰ σ τ ρ α τ ὸ ν ἐ ν τ ε λ έ ε σ σ ι.

Qui versus damnari solet, sed et servandus et magni aestimandus est, poetae enim mentem nobis ostendit.

Episodium autem, quod est de Hectoris cum Aiace pugna singulari, a multis est vituperatum. Quae pugna eventum nullum habuit

---

1) Θ 55—59. 2) Β 809 sq. 3) Η 380.
4) Haec participii (imperfecti) est vis, — ἀϝέλπτεον γὰρ vel οὐ γὰρ ἔφαντο δ 638.
5) Η 345 sqq. 6) Vs. 370 sq. 7) Vs. 380.

neque potuit habere; Hectorem enim non ab Aiace sed ab Achille interemtum, Aiacem post mortem Hectoris superstitem fuisse priscae fabulae ferebant, et de utroque multa etiam narrare habuit poeta noster. Sed cognita ei fuit fabula qua celebrabatur pugna singularis ducum ceteris fortiorum Aiacis et Hectoris, similis igitur alteri fabulae, quae erat de Paridis cum Menelao sive praedonis cum ultore pugna. Illam quoque [1]) carmini suo inseruit ubi poterat, ingeniosissimo autem artificio adaptavit cetero carmini; Hectorem enim sic ad duces Achivorum locutum fecit: „inducias ad eventum perduci non sivit pater caelestis [2]): doleo, sed mutare id „nequeo; quod vero possum, id iam praesto: en ipse Hector adest, „qui pugnam singularem cum fortissimo quolibet vestrum ineat. „Sic maculam Paridis a Menelao victi delere conabor; inferior „autem si evadam, non ut ille a dea aliqua protectus aufugiam" [3]). Fit igitur pugna nullis condicionibus propositis, quoniam „ἐξ ἔριδοσ" tantum sive *honoris causa* pugnatur [4]), praeconum autem interventu pugnae finis fit ita ut ad suos incolumis redeat uterque. Sed ad Andromachen Hectorem ex hac pugna reducere poetam vetuit ars poetica: itaque „προτὶ ϝάστυ" tantum eum rediisse dixit, quae verba licet significare possent *in ipsam urbem* [5]), potuerunt etiam sic intellegi ut *usque ad moenia* tantum heros esset deductus. Mox autem, cum in urbis arce a Priamo et senatoribus deliberatum est, poeta de Hectore tacuit: aderat tamen illic Paris, cur non etiam Hector adfuit? Poterat et ille aliquantisper iam arcem adire, copiis extra urbem relictis. Ad hanc quaestionem poeta non respondit, nobis autem minus aegre ferenda videtur molestia, cuius causa appareat.

Cetera certa et cuivis aperta sunt. Post pugnam secundam Troiani Achivis repulsis remanserunt in planitie, ποταμῶι ἔπι δινήεντι [6]), ubi fuit θρωισμὸσ πεδίοιο [7]). Ibi Hector suorum ἀγορὴν ποιησάμενοσ pernoctare eos iussit, et mox Achivi post vallum suum

---

[1]) Fabulam dico sive carminis argumentum, non dico priscum carmen vel partem carminis.

[2]) Recte sic Hector; nam ipsi caelites Paridem periculo eripuerunt, dein foedere violato ut bellum cieretur effecerunt.

[3]) *Η* 67—91. [4]) Vs. 111, 391. [5]) Ut *Γ* 116.

[6]) *Θ* 489 sqq. [7]) *Κ* 160.

latitantes anxii prospectarunt crebros ignes Troianorum prope ipsorum castra excubantium [1]). Hectorem autem apud milites mansisse opusne est addi? Non est, opinor, et si quis tamen dubitet, desinet dubitare inspectis versibus ubi Hector totidem verbis dicitur *μετὰ τοῖσι* noctem transegisse, cum ceteris *βουληφόροισ ἀνδράσι βουλὰσ βουλεύων παρὰ σήματι Fίλου*, editum igitur locum prudenter electum cum ceteris ducibus obtinens [2]).

Vehementer dein metus et maestitia, quos in pectore audientium moverat ultimum illud Hectoris cum Andromache colloquium, suscitantur denuo atque etiam augentur verbis Iovis Hectorem cras moriturum commiserati:

οὔ τι μάχησ ἐκ νοστήσαντι
δέξεται Ἀνδρομάχη κλυτὰ τεύχεα Πηλεΐωνοσ [3]).

Tristem hic percipimus vocis sonum eundem atque in ipsius poetae verbis illis:

αἳ μὲν ἔτι ζωιὸν ’γόον Ἕκτορα ϝῶι ἐνὶ ϝοίκωι [4]).

Nunc laetus exultat Hector spoliis opimis ornatus, et mox hostibus, qui iam profligati sunt, prorsus devictis uxori ea monstraturum se confidit, — quem scimus ne vivum quidem ad eam rediturum! Nam Iovis non sunt fallacia verba. „*Non redibis e pugna ad uxorem*'' Iuppiter ait, et est aliquid inter *οὔ τι* atque *οὐκ ἔτι* vel *οὐκ αὖτισ*. Post primam pugnam si rediisset Hector, „*non hodie quoque*'' vel „*non denuo redibis*'' vel eiusmodi quid Iuppiter nunc dixisset potius.

Etiam die sequenti ad finem vergente Troiani in planitie *ἀγορὴν ποιησάμενοι* noctem illic transegerunt, metu quidem perculsi nunc, — viderunt enim Achillem, quem fama tantum hactenus cognitum habuerunt, e vallo ipsis minatum, audiverunt eius vocem terrificam, et tali heroi impares se fore senserunt, — sed tamen spreto Polydamantis consilio prudenti, qui in urbem recedere eos iusserat [5]). Qua in Iliadis parte qui legerit Hectoris verba, copias intra Troiae moenia se recipere vetantis et egregio cum contemtu rogantis:

ἦ οὔ πω κεκόρησθε ϝεϝελμένοι ἔνδοθι πύργων;

non facile sinet sive a codicibus sive ab interpretibus sibi ita

[1]) *Θ* 553 sqq. *I* 232 sq. *K* 11 sqq. [2]) *K* 414 sq.; cf. etiam vs. 299 sqq.
[3]) *P* 207 sq. [4]) *Z* 500. [5]) *Σ* 243—314.

imponi ut ducem, qui ne tum quidem copias quamvis perterritas in urbem reduxerit, illuc a poeta tertio ante die sine iusta ulla causa remissum esse credat.

Denique Polydamantis verba, quae iam tetigimus, indicata sunto haec:

ὄφρα μὲν οὗτος ἀνὴρ Ἀγαμέμνονι ’μήνιε δίῳ,
τόφρα δὲ ῥηΐτεροι πολεμιζέμεν ἦσαν Ἀχαιοί·
’χαίρεσκον γὰρ ἐγώ γε θοῇς’ ἐπὶ νηυσὶν ἰαύων —

cett.; quae quanto aptius sint dicta si Troiani et heri et nudiustertius ante urbem pernoctaverint, quam si proxima quidem nocte campum obtinuerint, ante biduum vero, Achille tum quoque irae indulgente, intra urbis moenia confugerint, hic demonstrari non est opus.

Ergo haec est res. Si conceditur, duobus locis [1]) pro *πτόλιν* legendum esse *στρατόν*, quae vocabula nonnumquam permutata esse hodierni codices testantur, delendos autem esse duos versus [2]) utpote ex alio loco repetitos, servandum vero esse versum quendam qui vulgo damnetur [3]), in Iliadis compositionem non cadet gravissimum illud crimen, unde disputandi initium fecit Bethe, et ducis prudentis officio fungetur Hector per ultimos vitae dies. Si vero non licent haec, aut liber *H* ex Iliade evellendus est aut poeta melius coepisse quam desierit est dicendus. Lene et paene nullum est illud remedium, violentissima quaeque suadet ratio contraria. Utra praeferenda sit incertum mihi non videtur: quid lectori?

Si quid diximus hactenus quod operae esset pretium, sequitur ut non iam secernenda videatur libri Z pars quaedam, utpote ab Iliadis poeta — si modo poeta — e carmine antiquiore resecta, dein suo carmini inserta.

Artissime autem episodium, quod est de Hectore Troiam reverso, cum Iliadis parte priore coniunctum esse ipse Bethe ostendit, qui optimo iure professus est ab ipso Iliadis poeta Hectorem eo consilio ex acie in urbem remissum esse ut Paridem visere et cum

---

[1]) *H* 477 et *Θ* 55. [2]) *Θ* 58 sq.
[3]) *H* 380.

Andromache colloqui posset, illuc autem ut posset remitti, poetam finxisse eum ab Heleno augure peritissimo iussum esse Troiam redire ad rem divinam curandam [1]). Agnoscimus hic artificium poetae eius, qui alibi Hectorem ex introitu castrorum hostilium, quo iam cum parva parte exercitus penetraverat, voce Polydamantis ad suas copias remisit auxilium petiturum, quippe qui unus ea esset auctoritate ut milites in hostes posset urgere [2]).

Quod vero perhibet Bethe, matronarum pompae neque cum Diomedis fortitudine neque cum Hectoris in urbem reditu primitus commune fuisse quicquam, eam opinionem idoneis ab eo argumentis fultam esse nego. Nempe tenendum est non id quaesivisse Bethium, vetusta carmina ea hodie deperdita, unde Iliadis poeta sua duxerit, coniunctamne an disiunctam *horum episodiorum materiem* ei praebuerint, — quae res neque sciri iam potest neque, si posset, cognita quicquam prodesset de Iliadis compositione disputantibus, id unum igitur rogantibus *quam bene* poeta materiem, quam sive iunctam sive disiunctam accepisset, ipse dein *elaboraverit*, — sed *uniusne carminis vetusti pars aliqua* libro VI° Iliadis sit inserta, an *e pluribus carminibus resectae* particulae duae vel tres, dein utcunque conglutinatae, in libro illo nobis sint servatae, quam primum igitur seiungendae ei qui singulas suo pretio velit aestimare.

En igitur Bethii argumenta.

— „Vicerat quidem Martem Diomedes cum matronae Troianae „a Minerva precatae sunt ut haec Diomedis minas retunderet, „sed et Troianos ab eo victos poeta non dixit [3]). — At Belli deo, *Troianorum duce et praeside* [4]), vulnerato Diomedes ipsos Troianos in eo profligasse dici iure potest; qui deus postquam clamans in caelum aufugit, *statim* superiores facti sunt Achivi.

---

[1]) „Es liegt ja auf der Hand, dass die Helenosrede nur deshalb [vom Verfasser „unserer Ilias] erdichtet ist, um den Hektor in die Stadt zu bringen. Man kann „streiten, ob diese Erfindung geschickt oder ungeschickt ist, aber leugnen kann man „diesen ihren einzigen Zweck nicht. Und doch ist er, obgleich schon öfter hervor- „gehoben, immer wieder verkannt".

[2]) *Cf.* *N* 740—807.

[3]) „*E* 700 erleiden die Achaer eine Niederlage. Dann besiegt Diomedes zwar, von „Athene angerufen, den Ares, aber dass er die siegreichen Troer schlage, wird nicht „gesagt. Erst *Z* 5—73 schildern ein neues Vordringen der Achaer" cett.

[4]) *Cf.* *Δ* 439.

— „In episodio, quod est de matronis a Minerva opem petenti„bus, summam arcem obtinuisse dicitur huius deae fanum; at in „eo, quod est de Hectore Troiam reverso, aedes regum ibi structae „fuisse dicuntur" [1]. — Ergone parum inter se congruere haec quisquam putat? Ubi tandem nisi in ipsa urbis arce dis urbem tutantibus vel regibus sua sedes esse potuit? Athenarumne igitur arx soli Minervae an et regi Athenarum olim locum praebuit? Iliadis autem poeta modo delubri [2]) Minervae fecit mentionem, eo enim auditorum mentem convertere tum voluit et debuit, quoniam ibi agebantur res quas enarrabat: nunc mentionem facit regiae, quia illuc iam pervenit Hector, — et crimini Homero datur quod modo de regia illa tacuit, nunc tacet de fano Minervae vel de delubro Apollinis, quod item illic collocavit?

— „Priami tantum aedes in Troiae arce novit is qui fecit „matronas fanum Minervae adeuntes, proprias aedes et Paridi illic „tribuit poeta qui Hectorem uxori valedicentem cecinit" [3]). — Haec, quae proxime inter se vicina habet Ilias, si revera, quod putat Bethe, inter se discrepant, fieri qui potuit ut is qui in unum carmen coëgit, non senserit contraria se iungere? At optime inter se concinere mihi quidem est persuasissimum, ipse enim poeta causam rei addidit. Paris cum e longinquo itinere reversus magnam praedam et aliunde et ex Argivorum regione collectam in patriam advexisset, ad opes illas servandas proprium thalamum sive thesaurum requirens a peritissimis artificibus strui sibi iussit, e numero ceterorum Priami filiorum ipso illo itinere et raptu Helenae veluti exemtus. Ita rem finxit poeta Iliadis: cur perhibetur male finxisse et ne potuisse quidem ita fingere nisi priscorum carminum fragmentis abusus ad opus musivum componendum?

— „Mulieres Troianae a dea precantur ut Diomedem arceat, „at Hector cum Paridem in pugnam urget, de Diomede tacet, et „Andromache ultimum eum inter Achivorum duces comme-

---

[1]) „In diesem sind auf der Spitze der Burg die Paläste gedacht (*Z* 317), in jenem „(*Z* 297) der Tempel der Athene (Robert, Stud. zur Ilias 196)."

[2]) *Templi* nomine ambiguo cur praestet non uti in carminum Homericorum interpretatione, ostendi infra in capite XV (= Mnem. 1906 p. 181—193).

[3]) „*Z* 313 ff. hat Paris ein eigenes Haus . . . , aber der Dichter des Bittganges „(242) kennt nur ein Haus, und das gehört dem Priamos, und in diesem wohnen „alle fünfzig Söhne" cett.

morat [1])." — Parumne igitur ad fratrem excitandum valent haec Hectoris verba: „pereunt milites in pugna, quam tuam in gratiam „inierunt; ipsi urbi instant hostes"? Diomedisne nomen addendum fuit, si hunc inter hostes praecellere sciret is qui hos versus fecit? Addi poterat, sed cur tandem oportuit addi? Andromache autem cum ad maritum dixit: „ter iam in moenia irruerunt Aiaces et Idomeneus et Atridae et fortis Tydei filius", magnam emphasin tribuit Diomedis nomini ultimum eum commemorando, nam eodem fere haec redeunt ac si „ἄλλοι τε καὶ Διομήδης" dixisset: *cum alii tum is qui ceteris audaciorem se praestitit.*

Sed de ultimo hoc Bethii argumento tacere potui. Qui postquam de versibus 435—439 aliquantisper disputavit, cum spurios — quae Aristarchi olim fuit sententia — tum genuinos vocat, utpote ab ipso Iliadis poeta confectos et carminis alieni fragmento insertos, genuinos igitur dicendos esse si Iliadis, spurios si vetustioris illius carminis de Hectoris reditu, quod Bethe statuit, habeatur ratio. In prisco igitur illo carmine cuiusmodi fuerint partes Diomedis, ex Iliadis his versibus effici posse Bethe neget necesse est — argumentum ab ipso prolatum sic abiciens.

Itaque multum abest ut assentiar Bethio his argumentis prolatis sic concludenti: „adeo haec inter se discrepant ut luculenter „pateat Matronarum Pompam et Hectoris in urbem Reditum primi„tus non fuisse unius eiusdemque carminis partes, sed ex alio „carmine vetusto illud episodium, ex alio hoc esse resectum" [2]).

Mox, cum Iliadis poeta — si poeta etiam vocandus est is qui Iliadem ex carminum vetustorum laciniis tenui arte consarcinaverit — propterea vituperatur quod Hectorem coram Hecuba Paridi mortem imprecari fecerit [3]), impense hanc Bethii sententiam demiror, magis etiam miratus cum ad unum horum versuum [4]) novo crimine premendum additum vidi, Iliadis illum sive

[1]) „Die troischen Frauen bitten Athene um Schutz gegen Diomedes (306, 277, „296), der am Skäischen Tore wütet; aber Hektor, der den Paris in die Schlacht „treiben will, sagt ihm nichts von diesem Dränger, und Andromache, die vom Turm „aus die Schlacht verfolgt hat, nennt 436 den Diomed nur unter vielen andern erst „an letzter Stelle".

[2]) „Diese Widersprüche schliessen die Einheitlichkeit dieser Dichtung aus" sqq.

[3]) Vs. 279—285.

[4]) Vs. 280

poetam sive sartorem, dum in unum iungit diversa, admisisse formam contractam ἔρχεν, ut versu vicino denuo uti posset ad alterius carminis laciniam alteri assuendam, ne ad unum quidem hexametrum componendum sua arte satis valens scilicet. In prisci enim poetae carmine cum Hector ad matrem dixisset:

ἀλλὰ σὺ μὲν πρὸσ νηὸν Ἀθηναίησ ἀγελείησ
ἔρχεο σὺν θυέεσσιν,

nostrum hominem haec ita in deterius mutata repetivisse:

ἀλλὰ σὺ μὲν πρὸσ νηὸν Ἀθηναίησ ἀγελείησ
ἔρχεν, ἐγὼ δὲ Πάριν μετελεύσομαι κτέ. [1]).

At immerito sic poeta vituperatur. Nam sive servanda videtur ea quam codices hodierni praebere solent orthographia, sive magis placet „ἔρχε᾽" elisione solito signo indicata, sive „ἔρχεο, ἐγὼ" integrum more prisco perscribere malumus, eodem res redit: *contractam formam* oculis quidem ostendunt codices, sed vera contractio hic nulla est. Cuiusmodi formas textus traditus carminum epicorum plurimas quidem praebet, sed ANTE VOCALEM et CORREPTAS, ante consonam vero (non correptas igitur) non nisi locis paucissimis, et iis locis solis vestigia aevi recentioris deprehenduntur; nihilo vero maioris audaciae nihilove recentioris artis est „ἔρχεν (sive ἔρχε᾽) ἐγώ" quam „κῆδε᾽ ἐφῆπτο vel „δόμον περικαλλέ᾽ ἵκανε", nihilo difficilius elidi potuit -ο finale personae 2^ae quam 3^ae: ἔφατ᾽, ἠμείβετ᾽. Sed quid immoror rei quae ab Homeri studiosis ignorari nequeat [2]) neque Bethium — sat scio — lateat. Atqui ex his quae diximus sequitur, immerito eum illud ἔρχεν artis sequioris indicium vocasse.

Quod autem Bethe negat Hectorem Andromachen domi suae quaerere potuisse, si matronas in Minervae delubrum modo misisset, sic quoque duorum carminum primitus neque cohaerentium neque congruentium reliquias hoc loco agnosci perhibens, hoc crimen nititur coniectura quadam Schulzii, qui γεραιράσ —

---

[1]) „Der Eindichter hat statt der offenen Form ἔρχεο in 270 hier 280 die kontra- „hierte ἔρχεν eingesetzt, um fortfahren zu können ἐγὼ δὲ Πάριν μετελεύσομαι, während „sonst in den 68 Versen des Bittganges 237—278 und 286—311 keine kontrahierte „Form vorkommt".

[2]) Equidem olim in Mnemosyne (1886 p. 335—360) locos composui, dein anno 1892 in Enchiridio Dictionis Epicae (p. 296 sqq.) brevius rem tractavi.

vocem non ex Homero sed aliunde cognitam — pro γεραιάσ quater [1]) scribi olim iussit [2])... cur tandem? Cur Andromachen, cuius puerulo Scamandrio non iam instabat periculum, necesse fuit comitari matres militum in Minervae fanum peplum deferentes — si poetae id non libuit? Poterat et illam illuc mittere, non nego, at non misit: cur mitti oportuit? Nescio equidem, et miror hoc quoque argumentum ad Iliadis compagem labefactandam admotum, miror audaciam eius critici cui „ἔρχε᾽" pro ἔρχεν" scribere modo parum tutum videbatur.

Alia nunc mitto, ne taedium pariam legentibus. Nisi autem sufficiunt quae protuli ad refutandam quam Bethe professus est opinionem, equidem parum valeo in disputando, ne pluribus quidem argumentis cumulatis Homeri studiosis persuasurus.

---

[1]) Vs. 87, 270, 287, 296.

[2]) „Hektor fragt...: 'wohin ist Andromache gegangen?' u. s. w. Diese Fragen „sind unbegreiflich im Munde des Mannes, der eben den Bittgang der edlen Frauen „veranlasst hat: denn das sind γεραιραί, wie statt γεραιαί nach W. SCHULZES (Quaest. „epic. 501) Nachweis zu lesen ist. Nur im Tempel konnte Hektor sein Weib suchen, „nicht zu Hause, noch weniger bei den Verschwägerten, die auch beten mussten."

IX.

DE HEROUM HOMERICORUM CURRIBUS BELLICIS [1].

„Es giebt keine bessere Probe auf die Richtigkeit einer sachlichen Erklärung homerischer Bezeichnungen und Schilderungen, als die Beleuchtung, die durch sie die Gleichnisse gewinnen.” REICHEL.

Helenam versus moenia properantem

ἵνα θέσκελα ϝέργα ϝίδοιτο
Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων [2])

meminimus omnes, et totam illam Iliadis partem dulcissimam memoria probe tenemus. Vivunt illic omnia, vivunt singula verba, nihil temere dictum, magno poeta digna sunt omnia.

Ergone et suam sibi vitam illic vivunt epitheta, quibus Troum Achivorumque illustrata sunt nomina?

Ineptus fere mihi videor tale quid rogans. Nam hoc si rogandum videtur, id quoque rogetur coloribusne scientes utantur pictores, lucemne ab umbra, viride pigmentum a rubro distinguant. Fuit quidem nuper qui spisso libro sibi — fortasse et aliis — probasse videretur eo oculorum morbo cunctos laborasse Graecos quotquot fuerunt ut caeruleum colorem a luteo discernere non possent; cras fortasse surget qui Apelli lucem caliginis instar fuisse demonstratum eat vel Archimedem miscuisse quadrata rotundis. Sed aegrarum mentium eiusmodi somnia donec pro certis et

---

[1]) Haec commentatio primum edita est in Mnemosyne 1⁰ Iul. 1906.

[2]) Γ 130 sq., cf. vs. 251 et Θ 71.

exploratis habeantur inter philologos, pergemus opinor putare vates priscos scivisse quid dicerent et cur id dicerent, non temere iactasse quicquid in mentem veniret, sed sollerter duxisse lineamenta imaginum quas exhibituri erant et suis luminibus coloribusque temperasse.

Quod si firmiter persuasum habemus, dubium videri non potest quin is qui in turrim Scaeam deduxit Helenam, ut inde prospectans illa cerneret Troas essedarios et Achivos aere tectos in planitie ante urbis moenia inter se oppositos, neque Achivos bigis vectos mente sibi informaverit neque Troianorum tunicas aere resplendentes [1]. Alterum exercitum ab altero his epithetis distinxit poeta; utrumque ita indicavit ut id ipsum agnosceretur quod proprium sibi haberet. Adspicimus hinc peditum aciem aere fulgurantem, illinc equorum capita micantia. Sic pictor peritus lineis una et altera in tabulam raptim coniectis certi hominis vultum, animal aliquod rarius, locum olim adspectum, non minus clarum e memoriae nostrae latebris subito evocat quam si elaborasset illam imaginem et coloribus decorasset. Pingit poeta cum epitheto aliquo utitur. Viventia dicimus epitheta, quae suo tempore in animo artificis gignit musa; nam si quis epithetis utitur mortuis, is non poeta est, sed versifex; non carmen adornat, sed verborum versuumque fucat cadavera [2]. At verus fuit poeta qui *ἱπποδάμουσ* vocavit incolas Ilii, verus fuit poeta qui Agamemnonem vocavit *ποιμένα λαῶν* et *ἠΰτε ταῦρον ἀγέληφι μέγ' ἔξοχον πάντων* dixit, qui Ulixem *κτίλον ὥσ* ante aciem incedere; quae qui audiunt, ante horum mentem versatur imago regis strenuo eodemque gravi ingressu agmen suorum antecedens et in hostes ducens.

Neque est quod miremur, poetam Achivos et Troianos potissimum adiectivis *χαλκοχίτωσιν* et *ἱπποδάμοισιν* inter se distinxisse. Nam scimus in Troadem Atridas cum copiis suis non curribus vectos venisse, sed *ἁλὸσ ἵπποισ* illis, qui equis terrestribus aut nullum praebent locum aut perincommodum. Quos si tamen secum adduxerunt illuc principes — nam de his solis iam sermo esse

[1]) Abhorret versus E 180 = P 185, ubi et Troiani dicuntur *χαλκοχίτωνεσ*. Fortasse *καρτερόθυμοι* (quae est v. l. O 330) vel *θωρηκταί* illic eos vocaverat ipse poeta.

[2]) Non loquor nunc de nominum quorundam propriorum epithetis, quae neque pulcra sunt neque languent, sed in nomina propria et ipsa paene abierunt.

potest, et omnino solorum principum in carminibus epicis habetur ratio: copias quoque adesse scimus, vix videmus, — bigas igitur si reges Achivorum in bellum trans mare secum duxerunt, mirum est de ea re taceri ubi iter illud maritimum carminibus celebratur neque *νεῶν ἱππαγωγῶν* in secundo Iliadis libro, ut apud Thucydidem Atheniensium expeditionem Siculam describentem, fieri mentionem. Et vel sic — ut in Sicilia equitum Atheniensium — non nisi perexiguus esse potuit numerus equorum Achivorum neque contra creberrima Troianorum esseda [1]) plus potuerunt valere quam trecenti illi Niciae equites contra equitum Syracusanorum turmas densissimas; *τούτωι γὰρ μάλιστα προεῖχον ἐκεῖνοι.*]

Scimus praeterea non eo consilio venisse Agamemnonem ut celeri itinere in Asiae interiora penetraret, sed ut urbem oppugnaret firmis muris munitam marisque orae proximam [2]).

Scimus denique ex Asiae interioris campis inhospitalibus oriundos esse equos [3]), in Asia domitos esse primo, curribus bellicis primos inter homines, quorum quidem memoria ad nos pervenerit, usos esse Assyrios; eo tempore, quo Egypti Arabiaeve incolae equos nondum haberent cognitos, in bellum iis vectos esse reges Mesopotamiae; ex illis regionibus in Aegyptum, in Asiam quam minorem dicimus, tandem in Europam pervenisse currus bellicos. Itaque Europae incolae cum Asiae bellum inferunt, pugnam peditum cum turmis equestribus expectamus, quales fuerunt Israelitarum cum Chanaanitis, quorum invadebant regionem [4]), et facilius rogaverit quispiam reges Achivorum ullosne equos habuerint quos trans mare in bellum secum ducerent, quam cur currus suos domi, ut Pandarus Troianorum socius, reliquerint cum expeditionem maritimam inirent. Agamemnoni *καὶ ἕνδεκα ἅρματα* stabantne domi, ut Pandaro Zeleae? [5]) Esto: — minime tamen mirabimur

---

[1]) Cf. *Θ* 503, 543, 564 *Π* 370 *Φ* 16, 521.

[2]) Digna quae hic afferantur sunt verba Hehnii: „der assyrische König zeigt sich „nicht zu Fuss, auch nicht reitend, sondern immer zu Wagen, ausser bei Belagerungen fester Plätze, wo es der Natur der Sache nach auf Flüchtigkeit „der Bewegung nicht ankam" (Kulturpfl.[4] p. 30).

[3]) „Ein Steppenthier" (Hehn).

[4]) Ios. XI 4 XVII 16 Iud. I 19 IV 3 V 22, 28.

[5]) *E* 193.

si secum ea non traxerit trans mare currens; sed haud ita certum videtur eum habuisse quae secum traheret [1]).

Firmiter igitur solo innisi Achivi *χαλκοχίτωνεσ καὶ ἐϋκνήμιδεσ* expectant hostium mobilium turmas irruentes. Nam *κέντορεσ ἵππων* sunt Troiani [2]), sunt *ἵππων ἐπιβήτορεσ, οἵ τε τάχιστα ἔκριναν μέγα νεῖκοσ ὁμοιίοο πτολέμοιο* [3]), et ipsis nominibus studium equorum avitum testantur. Ut postea Hippiis Hipparchis Hipponicis Hippocratis atque adeo Phidippidi illi quem meminimus *τῶι Κικυννόθεν* nomen dederunt equi bellatores, quibus praepollebant eorum patres, sic *ἀπὸ τῆσ ἱπποτροφίασ* denominati sunt etiam Troiani Elasus, Elatus, Damasus, Polydamas, Hippodamas, Hippodamus, Hippasus [4]), Hippothous, Hippomachus, Hippolochus, Hippotion, Hippodamia, Melanippus, eorumque socii Hippocoon, Hippothous, Hippolochus, Euippus; etiam is qui omnium primus e Troianis occisus est ab equis nomen habuit Echepolus [5]).

Nempe egregiis divinaeque adeo stirpis equis gaudet *Ἴλιοσ ἡ ἐΰπωλοσ* [6]). Ipse hominum deumque pater Troi gentis Troianae patri praebuit olim *ἵππουσ ἀρίστουσ ὅσσοι ἔασιν ὑπ' ἠόα τ' ἠέλιόν τε* [7]). Eius patri Erichthonio tria milia equarum erant [8]), utque equis Lao-

---

[1]) „Die Griechen sind zu allen Zeiten im wesentlichen Fussvolk gewesen" (Reichel Hom Waffen[2] p. 88). — Non obliviscor nunc stelarum Mycenaearum quae bellatores currum agentes ostendunt.

[2]) *E* 102.

[3]) *Φ* 263 sq. — Locutionem *ἵππων ἐπιβαίνειν* ceterasque quae sunt huiuscemodi errore aliquo ita esse detortas ut *ἵπποι currum* significarent, suspicari nos ipsa lingua fere cogit. Nam explicatio quam Reichel protulit: „man sagte *ἀφ' ἵππων* . . . weil die „Pferde eben das Charakteristische des Fuhrwerkes waren" (Hom. Waffen[2] p. 120) vereor ut sufficiat. *Equitesne* fuere Troes in carminibus nostra Iliade vetustioribus, ut Amazones Troum sociae in Aethiopide carmine? Ipsi tamen Iliadis poetae, qui etiam *ἐξ ἵππων* (*Γ* 265 al.) dixit, *ἵπποι* vox prorsus in *bigarum* sive *currus* notionem abiit.

[4]) Hippasi alius cuiusdam filius dicitur Hypsenor Achivus *N* 411, nescio quo errore, nam alibi Hypsenor Hippasi filius Troianus est.

[5]) *Δ* 458. Alter quidam Echepolus *Ψ* 296 Sicyonius quidem est Agamemnonis socius, sed . . . *Anchisiades* vocatur, e Troade igitur in Graeciam nescio quomodo translatus. — Fortasse etiam *Lampus Xanthus Pedasus* hic commemorandi sunt, quae et equorum inclutorum sunt nomina. — „Die meisten" [immo versibus *B* 678 *Δ* 303 *T* 240 exceptis omnes] „der mit Hippos gebildeten Eigennamen . . . fallen den Troern oder Thrakern zu" (EHMeyer Indogerm. Mythen II, Achilleis, p. 191).

[6]) Epitheton *εὔπωλοσ* *E* 551 al.

[7]) *E* 265 sqq.

[8]) *Υ* 221.

medontis, qui Trois fuit nepos, Priami pater, poteretur Hercules olim urbem cepit [1]); nunc Priamus plurima eorum armenta alit Abydi [2]). Huius filius Troilus dicitur ἱππιοχάρμησ [3]), fortissimos autem Troum heroes Hectorem et Paridem levi superboque ingressu per planitiem properantes cui assimularet poeta unum invenit equum luxuriantem [4]), animal illud quod prae ceteris illis carum erat. Non Antilochum, non Oilei filium vel Ulixem, quantumvis pernices ferocesque, equis assimulavit [5]).

Etiam socii Troianorum Phryges sunt ἱππόμαχοι [6]), αἰολόπωλοι [7]), Lyciorum Troiae vicinorum [8]) rex Lycaon undecim currus habet [9]), Thraces, quos ducit Rhesus [10]) dicuntur ἱπποπόλοι [11]), Maeoniae Cariaeque mulieres eburnea ornamenta arte parant maritorum fratrumve equis [12]).

Haec habet Ilias, et similia habuerunt carmina Iliade antiquiora rerum pridem gestarum memoriam servantia, multifariam quidem mutatam et exornatam, veri tamen memoriam aliquam. Asia fuit equorum patria, in Asia bellantibus Agamemnonis militibus occursarunt turmae curruum hostilium, quemadmodum multis saeculis post in Clearchi hoplitas irruerunt currus falcati Artaxerxis.

Sed non Ilii expugnationem canit Ilias: canit iram Achillis. Cum Achille ceterisque heroibus Thessalis priscam fabulam, quae erat de Troia ab Argivis capta, invaserunt multa quae ab ea aliena erant. Thessalia diu ante aevum, quo Ilias est condita, bigarum cognitum habuit usum; in Thessaliae campis laetis, apertis, Thraciae vicinis lasciviebant equi quo tempore saltuum Laconicorum incolis vix essent notiores quam Pyrrhi olim „boves anguimani" [13]) fuerunt rusticis Lucanis. Itaque non est quod miremur Iliadis poetam non constanter distinxisse Achivos pedites a Troianis essedariis. Tros Phthiusque illi nullo discrimine habentur. Servavit quidem ἱπποδάμουσ Troianorum epitheton, sed et Diomedes ei est ἱπποδάμοσ itemque Tydeus huius pater, sunt Nestor eiusque filius

---

[1]) Ε 640. [2]) Δ 500. [3]) Ω 257.
[4]) Ζ 506 sqq. Ο 263 sqq. [5]) Achillem semel in transitu Χ 22 sq.
[6]) Κ 431. [7]) Γ 185.
[8]) Cf. Δ 90 sq. — Aliena hinc est quae postmodo Lycia dicta est regio procul a Troade dissita.
[9]) Ε 193. [10]) Κ 436, 472 sq. [11]) Ν 4 Ξ 227.
[12]) Δ 142—145. [13]) Lucret. V 1301 al.

Thrasymedes. Achivos quoque dicit *ταχυπώλουσ* et *κέντορασ ἵππων* et *ἱππότασ* et *ἱππηλάτασ*, — et quidni dicat? Nam reges, quorum patria *ἱπποβότοσ* audiat [1]), domi equis usos esse non est cur negemus; utitur iis Diomedes, utuntur ceteri reges Achivorum, ipse Achilles eiusque sodalis Patroclus *ὁ ἱππεὺσ καὶ ἱπποκέλευθοσ* equis utuntur immortalibus, venti prole [2]), e communi igitur rerum natura exemtis [3]).

Et quid tandem in Iliade ante Troiam Achivis prosunt bigae, quid Troianis? Ipse Balius equus et Xanthus ille vocalis quid prosunt, quid agunt? Domi suam Achivorum equis fuisse utilitatem testantur Nestoris verba, quibus *ἱππότου* epitheto dignum se probat [4]); sed in ora Troadis quid perficiunt? Id unum quod iumenta hodierna, — si qua etiam reliquerunt aevi novi machinae electricae et automobiles, — quae currus nostros . . . non in bellum trahunt, sed homines sarcinasque ex alio in alium locum vehunt. Carpenta sunt, plaustra birota, non vera esseda. *Fugae* potissimum, non victoriae sunt instrumenta; in fugam aptissimos se praestant Achivorum equi, nam nulli a Troianis captantur, neque ullum fere heroem Achivorum bigis fugientem assequuntur hostes. Semel et iterum eiusmodi quid dicitur in transitu [5]), non data opera pingitur, ut crebri illi Troiani, qui in curribus stantes occupantur a Diomede Agamemnone ceteris Achivorum regibus. E curru vero pugnans heros Achivus unus tantum uno longi carminis loco commemoratur, ibi autem deam habet aurigam ipsumque belli deum vulnerat [6]). Diomedes ille duce Minerva Martem hasta percutiens non ex Asiatico bello sed ex antiquissimis Thebanorum mythis est desumtus: cum Troianis vero pedes ille

---

[1]) *Ἄργοσ ἱπποβότου* primitus dictam esse *Thessaliam* acutissima est Busolti suspicio, cui adstipulati sunt Beloch et Cauer.

[2]) *Π* 150. Ad tertium illum Patrocli equum quod attinet, duae videntur coaluisse fabulae, quarum altera Xanthum Baliumque nosset Achillis equos divinos, altera Pedasum Patrocli equum mortalem.

[3]) *Deorum* Iovis Iunonis Martis Neptuni bigas nunc mitto, id unum hoc loco de iis annotasse satis habens, vix unquam iis utiles, nunquam necessarias esse neque unquam mortalium pugnis immisceri. *Soli* equos poeta non tribuit („scandit" sol firmamentum), neque *Aurorae* („*προσεβήσετο*" haec Olympum).

[4]) *Δ* 306—309 et *Λ* 680—761.

[5]) *E* 608 sq. *Π* 810 (*P* 619).

[6]) *E* 829 sqq.

pugnat [1]) ceterique pugnant principes, cum usque ad hostes bigis sunt vecti, et prudens illud Nestoris praeceptum „ex ipso curru adversarios petere" suos essedarios iubentis [2]) credimus quidem ab iis non esse neglectum, sed non cernimus. Ipse Achilles immortalibus suis equis non ad assequendum profligandumve Hectorem utitur, sed ad corpus eius laniatum per pulverem in castra raptandum. Mulorum in tauromachiis hodiernis tale est officium: satisne id dignum prole Zephyri rapidaeque Podargae?

A prisca autem Achillis fabula talia fuerunt aliena; huic poetas antiquissimos bigas non tribuisse testantur epitheta *πόδας ὠκύς*, *ποδώκης*, *ποδάρκης*, quae Iliade esse antiquiora nemo non sentit, quoniam inde ab initio carminis [3]) ei tribuuntur, licet in extremo demum carmine causa adiectivi appareat [4]). Non equi eius sunt *ποδήνεμοι*: ipse est *θείειν ἀνέμοισιν ὁμοῖος*. Qui postquam e castris proruit Patrocli caedem ulturus et in Hectorem stimulavit equos, furore stimulatus ipse, adspecto hoste e curru prosilit, fugientem pedibus velocibus circa urbis moenia persequitur, tandem assecutus obtruncat. Non nescio quidem multis saeculis post in Britannia ita pugnatum esse „ut essedarii primo per omnes partes perequi„tarent, dein ex essedis desilirent et pedibus praeliarentur, aurigae „interim paullatim ex praelio excederent atque ita currus collo„carent ut, si a multitudine hostium premerentur, expeditum ad „suos receptum haberent" [5]), sed in Achillis *τοῦ ποδάρκεος* fabulam talia parum quadrant.

Itaque, ut illuc unde exorsi sumus redeamus, postquam ad manus venerunt *ἱπποδάμοι Τρῶες καὶ ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοί*, non possumus non expectare singulas quas poeta descripturus est principum pugnas huiusmodi fore ut *τὼ μὲν ἀφ' ἵπποιιν* dimicent, bellator Troianus eiusque auriga, *ὃ δὲ πεζὸς ἀπὸ χθονὸς* in eos obversus, heros Achivus [6]). Et ita est; plurimi ab Achivis feriuntur Troia-

---

[1]) Θ 118 utrum e curru Hectorem petiverit Diomedes, an more solito prius desiluerit, non liquet.

[2]) Δ 306 sq.

[3]) Α 58.

[4]) Praeter Χ 22 sqq. commemorandus hic est Υ 189.

[5]) Caes. Bell. Gall. IV 33.

[6]) Ε 13. Cf. etiam Ο 386 sq.

norum proceres in curribus stantes: a Diomede Phegeus, Astynous et Hypiron, Abas et Polyidus, Xanthus et Thous, Echemmon et Chromius, Pandarus, Axylus et Calesius, Thymbraeus et Molion, Meropis filii [1]), ab Agamemnone Odius, Bianor et Oileus, Antiphus et Isus, Pisander et Hippolochus [2]), ab Idomeneo Phaestus [3]), ab Antilocho Mydon [4]), a Menelao Adrastus [5]), a Patroclo Thestor et Cebriones [6]), ab Achille Laogonus et Dardanus, Rigmus et Areithous [7]), et bigas Troianorum eorumque sociorum complures captas in castra abducunt Achivi: Diomedes Phegei et Idaei, Echemmonis et Chromii, Aeneae et Pandari, Meropis filiorum et Ulixe adiuvante Rhesi [8]), Antilochus Mydonis et Asii [9]), Patroclus Sarpedonis [10]).

Frustra autem urbe tentata Achivi fossa valloque circum naves et tumulum, quo militum caesorum ossa sepeliverunt, ductis ab hostium celerum incursionibus se tutantur auctore Nestore rerum bellicarum peritissimo [11]). Quod quam prudens fuerit consilium posteris diebus patet. Nam duce Hectore audacter proruunt turmae hostiles [12]), et nisi arcuisset eos nova fossa sudibus praeacutis munita, in castra penetrassent [13]). Repellitur qui aditum tamen petit Asius [14]), dein curru egressus caeditur [15]); ceteri Polydamanti statim obtemperantes curribus relictis vallum Achivorum adoriuntur pedites et duce Hectore per portam in castrorum interiora tandem penetrant [16]). Repelluntur tamen, sed denuo castra aggressi per viam quam ipse Apollo iis stravit quo tendebant perveniunt pedites, subsequentibus bigis [17]). At Patroclus postquam fessis navium defensoribus opem tulit, denuo fugantur Troiani multaeque in fossa pereunt eorum bigae [18]). Cadit dein Patroclus et fortuna denuo mutata Achivos cum eius corpore recedentes invadunt Aeneas Hector ceterae turmae Troianae [19]). Quominus tamen in

---

1) *Ε* 13 sqq., 144 sqq., 148 sqq., 152 sqq., 160 sqq., 291 sqq. *Ζ* 18 *Λ* 320 sqq. 329 *Μ* 112 *Ο* 386 al.

2) *Ε* 89 *Λ* 92 sqq., 104 sqq., 122 sqq.

3) *Ε* 46.

4) *Ε* 581 sqq.

5) *Ζ* 38 sqq.

6) *Π* 402 sqq., 737 sqq.

7) *Υ* 460 sq., 487 sq.

8) *Ε* 25, 165, 323 *Λ* 328 *Κ* 481 sqq.

9) *Ε* 589 *Ν* 400.

10) *Π* 506 sq.

11) *Η* 327 sqq., ubi cf. praesertim vs. 342.

12) *Λ* 289, 320, 503, 522–538.

13) *Μ* 50.

14) *Μ* 110 sqq., 124.

15) *Ν* 385–392.

16) *Μ* 50–85, 462

17) *Ο* 352 sqq. — Summas res strictim nunc tango.

18) *Π* 367–393.

19) *Ρ* 740, 754 *Σ* 153.

castra iterum penetrent eos deterret Achilles in vallo conspectus [1], qui mox per planitiem eos persecutus partim in Xanthum pellit fluvium, cuius alveus oppletur equorum militumque corporibus [2]. Caeso dein Hectore ipsi Ilio perniciem instare sentimus.

Hactenus quae demonstratum ivimus quo redeant facilius fortasse apparebit inspectis thesibus quas subiuncturus sum tribus:

I. Prisca carmina, quae erant de Troiae obsidione et excidio, bigas [3] tribuebant Troianis eorumque sociis, — si quos etiam in carminibus illis socios Troiani habebant, — Argivis non item [4]. Magna illorum carminum pars erat — ut est Iliadis — Hector ὁ ἱπποδάμοσ, κορυθαιόλοσ ἱπποκορυστήσ cum turmis suis irruens in Argivorum castra fossa valloque protecta, ab Aiace autem Argivorum fortissimo repulsus.

II. In fabula quae erat de Achillis facinoribus — ut in Argonautarum fabula — bigarum primitus non fiebat mentio. Huius fabulae pars praecipua fuit — et est in Iliade — Achilles Hectorem pedibus persequens, qui cursus non certaminis equestris praebuit speciem, sed accipitri columbam vel cani venatico hinnuleum persequenti poeta similem dixit Achillem τὸν πόδασ ταχύν.

III. Achivorum bigae in Iliadem invectae sunt praesertim e fabulis Thebanorum [5]. Hinc fit ut prae ceteris iis utatur Diomedes [6] et melius quam alii Achivorum heroes sciat quomodo iis sit utendum. Praeterea poeta Iliadis et ante eum alii Achivos Troianis, hos illis assimulantes plura quae essent huiuscemodi

---

[1]) Σ 223 sq., 244.

[2]) Φ 16, 521.

[3]) Cautius loquentis fortasse fuerit *equos* dixisse (cf. pag. 151, 3).

[4]) Ex parte igitur convenit mihi cum E. H. Meyero (Achilleis p. 190), qui in Achilleide (sic vocat partem Iliadis illo iudice ceteris antiquiorem) currus bellicos „offenbar den Griechen noch nicht so vertraut wie den Troern" esse statuit et „in Masse nur im troischen Heer" inveniri. Sed aliorsum quam ego vir ille doctus tendit cum in *recentibus* tantum Iliadis partibus „nur noch die Troer, nicht mehr die Griechen" curribus uti statuit (p. 209), novi igitur aevi vestigia agnoscens ubi genuina mihi videntur omnia.

[5]) Ita igitur acceptum velim id quod Ed. Meyer adstipulante Cauero (Vorfragen p. 178) his verbis enuntiavit: „der Wagenkampf ist eine Antiquität des traditionnellen epischen Stils."

[6]) „Diomedes ist aus einer Fortbildung der grossen Sage des thebanischen Krieges in die des troianischen herübergenommen" E. H. Meyer l. l. p. 394.

finxerunt, et praesertim Nestor bigis aurigandique peritia valere dictus est, mutato in regem mortalem eius patre Neleo, qui primitus fuit *Ἀϝίδησ νηλεὺσ κλυτόπωλοσ*.

Sed erunt fortasse qui hanc disputationem satis firmo fundamento inniti certam ob causam negent.

Nempe propter *scutorum* priscorum ingens *pondus* heroas bigis usos esse multi hodie arbitrantur [1]); tum cum loricati essent milites et levioribus clipeis uterentur, minus necessarias vel etiam inutiles factas esse bigas, sed fieri non potuisse ut in antiquissimis carminibus epicis Achivorum principes iis non uterentur.

Cui igitur heroi scutum longe gravissimum tribuitur in Iliade? Non diu quaerendum, nam novimus omnes: est Aiax, cui ipse filius *Εὐρυσάκησ* e scuto illo septemplici procrevit. Hic autem bigis usus esse nusquam dicitur. Et tamen *ἕρκοσ Ἀχαιῶν* vocatur, neque ulla in pugna deficit, sive robore opus est sive agilitate; non solum a navibus propulsat turmas hostium, sed etiam in medio campo, procul a castris, Patrocli caesi corpus servat inter pugnantium tumultum, item postea corpus Achillis. Cum recedendum est, asino tardo et pervicaci similis est, at in hostes minime tardus immanique illo scuto haudquaquam praepeditus identidem properat pedes. Vel sic igitur satis celer fuit Aiax *ὁ φέρων σάκοσ ἠΰτε πύργον*, cuius tum demum exhaustae sunt vires cum hostes per diei partem haud exiguam ingenti conto propulsavit [2]), per navium tabulata huc illuc ingentibus saltibus ruens. Neque Ulixi bigae tribuuntur in Iliade.

— „Quippe ex insula exigua venit uterque" [3]).

Esto. Sed Arcadibus naves commodavit Agamemnon: bigas regi Ithacae vel regi Salaminis commodare non poterat aut nolebat? nolebat Menelaus, qui vel dono eas postea obtulit Ulixis filio se

---

[1]) Sic Reichel Hom. Waffen² p. 88 eumque secutus Leaf Ilias² I p. 573: „It was „the great weight of the shield which led to the use of the war-chariot ... If Odys„seus and the Salaminian Aias have none either, the want is to be explained by „the fact that their homes are small rocky islands."

[2]) *Ο* 676 sqq. *Π* 102–111. Id quod nollem his verbis enuntiasset Reichel: „gelegentlich unter der Wucht des Schildes leiden" (Hom. Waffen² p. 39).

[3]) Hercher Herm. I p. 262 sq., cui Reichelium et Leafium aurem praebuisse modo vidimus.

visenti? Et tam maligni si erant Atridae, quidni Rhesi igitur bigis postquam potitus est Ulixes, in bellum est vectus, ut Diomedes equis Aeneae? Cur sub ingenti illo scuto etiam desudare maluit? Quidni Aiax, postquam plurimos Troianorum equos Achivi in castra abduxerunt, duos horum sibi expetivit facinorum strenuorum iustum praemium, ne etiam exinde mole scuti sui suffocaretur paene et elideretur, sed alacrior irruere posset in aciem hostilem? An deerant aurigae?

Inepta rogantis esse haec censes? Ego censeo. Nempe ostendere volui ad quam insulsas quaestiunculas detrudamur si concedamus prisca scuta tam gravia fuisse ut facile gerere ea non possent heroes. Quae si ita habuisset res, mansissent potius in curribus, ab hostium adversorum telis satis ibi tuti. Sed quae levi manu versare poterant scuta σακεσπάλοι, ea etiam gestare poterant aliquantisper. Probabilius igitur perhibuerit quispiam curruum usum aliquando effecisse ut gravioribus quam antea scutis bellatores uterentur, quam propter scutorum nimium pondus primum adhibitos esse currus bellicos, — vel sic tamen perperam, nam quae repertae sunt hactenus imagines vetustae essedariorum, scutis satis exiguis munitos ostendunt [1].

Sed quae de pondere ingenti scutorum ἀμφιβρότων perhibentur omnino mihi videntur reicienda. Ponderosa fuisse non nego: erant etiam scuta militum Romanorum [2], nec tamen curribus hi vehebantur in aciem; — tam ponderosa fuisse quam hodie creduntur, ita ut satis commode gestari nequirent, nego praefracte. Aut enim mera haec est coniectura — nam cerni quidem possunt eiusmodi scuta in vetustis imaginibus delineata, in libra exigi ipsa non possunt, — aut nititur auctoritate Homeri. Propter magnum igitur ambitum si tam gravia fuisse dicuntur, nego id inde effici; si propter Homeri versus quosdam, poetae verbis ita utendum esse nego. Qui quod scutum e septem taurinis pellibus confectum et praeterea lamina aerea obductum tribuit Aiaci, ingentes vires huius herois sic significavit; quem si quis poetae aequalium imitatus hostem cum eiusmodi scuto invadere conatus esset, extemplo

---

1) Dicimus imagines Aegyptiorum et gentis quae Khita vocatur.

2) Romana scuta erant pedum $4 \times 2\frac{1}{2}$ (Polyb. VI 23).

concidisset armorum suorum mole oppressus, ut clipeorum Sabinorum Hersilia. Scuta quibus septenorum boum pelles inserviissent nulla in terris vidit aetas; destinata ea fuere viris tantae staturae quantae fuit heros ille, cuius ossa Tegeae effodit olim Lichas [1]). Aut huic viro Herodotove fidem habentes credamus septem cubitorum fuisse Orestem, aut septem pellibus scutum ullum revera protectum fuisse credere recusemus [2]).

Sed hoc si reicitur testimonium, quid restat? Hector, cuius tantus fuit clipeus ut currentis et collum et suras percuteret [3]), poterat tamen *ἀμφιβρότην* hanc *ἀσπίδα νωμῆσαι* et *ἐν σταδίῃ μέλπεσθαι Ἄρηϊ* [4]), poterat in tergum reiecta in arcem rapido cursu adscendere [5]). Quorsum igitur ei bigae? Non ad arma transportanda, sed ad hostes invadendos, fugandos, persequendos!

Si quis autem sumat essedarios Homericos gravioribus, pedites levioribus scutis vel clipeis fuisse instructos, — nam eodem tempore maiora et minora scuta in usu fuisse cum per se satis intellegitur tum testantur imagines Mycenaeae, — ne huic quidem opinioni satis firmum fundamentum praebeat Ilias, quoniam Hector, ut vidimus, etiam pedes cum magno clipeo cursu ferebatur celerrimo et Aiax, qui scuto omnium longe gravissimo onustus fuit, semper pugnavit pedes.

In gravissimum denique errorem incidat qui solos principes scutis clipeisve armatos fuisse sumat. Fuerunt velites in exercitu Achivorum, multi fuerunt, — sed etiam *ἀσπισταὶ* plurimi erant pedites [6]). Induciae dum fiunt, hi „*stant clipeis innisi*", *ἕαται ἀσπίσι*

---

[1]) Herodot. I 68.

[2]) „Sieben Häute und eine Metallage, das giebt niedrig geschätzt ein Gewicht von 140 Kilogramm. Niemand wird im Ernste annehmen, dass es solche Schilde wirklich gegeben habe" (Robert Studien zur Ilias p. 13). Ipsa vita cuiusmodi habuerit scuta „turribus similia" Reichelii verbis (Hom. Waffen² p. 4) dicere liceat: „diese Art wird, da sie kürzer ist, leichter im Gewichte gewesen sein [quam scuta figuram 8 referentia]".

[3]) *Z* 117 sq.

[4]) *H* 238—241.

[5]) *Z* 11.

[6]) *Δ* 90, 113 *K* 152 ; 479. Cf. et *B* 554 — *Π* 167, ubi *ἵπποι* sive *bigis* sociantur (i. e. opponuntur) *ἀνέρες ἀσπιδιῶται* sive *armati pedites*. In Mycenaeis autem imaginibus magni clipei non nisi *peditibus* tribuuntur, et modici ponderis eiusmodi clipeos fuisse testatur e. g. culter Mycenaeus ille notissimus, in quo venatorum ita armatorum cum leonibus pugna est picta. Neque aliter clipeis proceris usae sunt aevi recentioris gentes barbarae. Cf. A. Lang, Homer and his Age p. 116 sq.

κεκλιμένοι [1]), pugna autem coorta *συμβάλλουσι ῥινούσ* [2]). Tunc *ἀσπὶσ ἀσπίδ' ἐρείδει . . . ὧσ πυκνοὶ ἐφέστασ' ἀλλήλοισι, φράξαντεσ σάκεϊ σάκοσ* [3]). Magnus igitur horum fuit numerus, et tamen solis principibus Achivorum poeta tribuit bigas. Nisi credibile videtur finxisse eum milia aliquot equorum in apertis illis navibus ab Achivis *αὐτερέταισ* trans mare vecta, quae millenis Troianorum equis [4]) opponerentur. An et *equi* Atridarum *αὐτερέται* trans mare cucurrerunt, ut equi Attici teste comico? Etiamne Xanthus et Arion „*ἱππαπαῖ, τίσ ἐμβαλεῖ;*" clamarunt sodalibus quadrupedibus? Erant certe vocales!

Nae ludicra fiunt omnia, in satyricum tragoedia vertitur, in iocos scurriles abire videtur poema immortale, dum persuadere nobis conamur vatem cum ratione insanivisse. Non insanivit ille — nobis cavendum ne insana ex eius carmine efficiamus.

---

[1]) *Γ* 134. Quo versu infeliciter usus est Robert l. l. p. 26, sic interpretatus: „Die Krieger legen ihren gewaltigen Schild ab und lehnen sich mit dem Rücken dagegen, wie an die Lehne eines Sessels". Serione igitur vir doctus finxit sibi aciem militum coram hostibus . . . humi ita considentium ut qui in littore apricantur? Immo *ἧσθαι* *movendi*, non *standi* notionem hic, ut passim, sibi habet oppositam. Cf. e. g. verbi *στήμεναι* usus similis *E* 309: „*ἔστη γνὺξ ἐριπὼν καὶ ἐρείσατο χειρὶ παχείῃ γαίησ.*

[2]) *Δ* 447.

[3]) *Ν* 130 sq.

[4]) Cf. p. 151, 8.

X.

DE THORACIS IN CARMINIBUS HOMERICIS USU [1].

Quadraginta sunt anni et amplius per quos carminibus epicis operam dedi, puer prius et discipulus, dein alios docens ipse; nihil autem per temporis illud spatium vidi prolatum quod plus prodesset ad prisci aevi reliquias recte intellegendas quam Wolfgangi Reichelii *τοῦ μακαρίτου* — nam morte immatura abreptum dolent omnes quibus bonae litterae cordi sunt — de armis Homericis liber [2]. Egregia multi in poeseos Homericae verbis et rebus illustrandis dederunt sagacitatis et eruditionis specimina, sed felicius nihil est inventum quam id quod nunc discunt etiam pueri in gymnasiorum subselliis, proximo saeculo exeunte ne doctissimi quidem magistri suspicabantur, Homeri heroibus multis non fuisse thoracem. Quod postquam docuit Reichel, centum pluresve loci Iliadis nec non Odysseae unus et alter melius quam antea intelleguntur, et omnes iam miramur, id quod mirari solent homines cum veri quid est repertum, non dudum id aut aliis aut nobis ipsis fuisse perspectum. Pergere autem per viam indicatam quoniam multo est facilius quam indagare viam et aperire, quaedam in hac provincia postmodo ab aliis melius quam ab ipso Reichelio administrata esse non est quod miremur.

---

[1]) Haec commentatio iteratur e Mnemosynes fasciculo eo qui 1 Iul. 1906 prodiit.

[2]) Ueber Homerische Waffen. Archaeologische Untersuchungen von W. Reichel, Wien 1894, ed.[2] (opus postumum) 1901.

Non cunctis versibus Iliadis — Odysseae nullus repugnat — convenit Reichelii doctrina. Sed longe plurimis locis, ubi Achivorum cum Troianis canuntur praelia, milites non thorace vel lorica indutos cogitari sed sola arma *ἔχοντασ πήληκα καὶ ἀσπίδα* [1]), *γυμνοὺσ* igitur esse si sint *ἄτερ κόρυθόσ τε καὶ ἀσπίδοσ* [2]), *τετευχῆσθαι* vero eos quibus sint *σάκοσ καὶ δύο δοῦρε καὶ κυνέη* [3]), id postquam dixit Reichel, nemo negaturus est, aperta enim est res. Itaque quod nimiae stultitiae et vere barbarae videbatur olim, caesos pugna aestuante extemplo *ἐξεναρίζειν* sive *σκυλεύειν*, id fieri quomodo potuerit nunc demum intellegitur; nam hoc est quod volunt poetae: galeam scutum ensem hastam hosti necato erepta a victore ministris suis tradi, id quod per brevissimum temporis spatium et veluti in transitu fieri potuit. Si vero fingimus nobis militem etiam thoracem corpori hostis prostrati circumdatum in media telorum grandine solventem, id ultimae aut temeritatis videtur aut imperitiae. Caesi vero hostis cum corpus a sodalibus aufugientibus relinquitur, aut statim aut post pugnae finem a victore eiusve ministris etiam thorax ei potest detrahi, si thorace fuit munitus. Et sic Diomedem ostendit poeta Agastropho thoracem adimentem [4]) et Asteropaeo thoracem ab Achille ademtum esse dixit alibi [5]).

Lumen autem postquam nobis praetulit Reichel, versus quosdam insiticios a vicinis facile discernimus. Sic — neque eum latuere quae dicturus sum — Menelai cum Paride pugna singularis ubi enarratur, haec habet textus traditus:

διὰ μὲν ἀσπίδοσ ἦλθε φαεινῆσ ὄβριμον ἔγχοσ,
καὶ διὰ θώρηκοσ πολυδαιδάλου ἠρήρειστο,
ἀντικρὺ δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα
ἔγχοσ· ὃ δ' ἐκλίνθη καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν [6]).

---

[1]) *α* 256. Cf. *Κ* 76 sq. *Ν* 714 sq. *σ* 377 sq.
[2]) *Φ* 50. Cf. *Μ* 428 *Ξ* 371 sq. *Π* 312 *Χ* 124.
[3]) *χ* 101—104; cf. vs. 110 sq. et 144 sq.
[4]) *Λ* 373 sq.; *Ν* 510 sq. vero quominus vertamus: *galeam et scutum adimere ei non potuit* (ut *Ε* 621 sq.) nihil obstat, licet et *thoracem* hostis caesi poeta illic commemoraverit vs. 507.
[5]) *Ψ* 560—562.
[6]) *Γ* 357 sqq. (= *Η* 251 sqq. *Λ* 435 sqq.).

Haec discipulo paulo acutiori neque — quod puerorum est! — alia omnia agenti interpretari conare... et mirum ni rogaturus sit quomodo Paris hastae hunc ictum vitare potuerit, quo perruptis scuto thorace tunica peterentur ilia. Olim respondendum erat: „tam laxos igitur fuisse thoraces ut a latere militis corpus inflectentis aliquantum distarent" [1], vel, etiam difficilius creditu neque lingua favente: „retraxisse Paridem corpus, ita ut hastae scuto et thorace retardatae cuspis non posset pervenire usque ad ipsam eius cutem", vel id quod nunquam non responderunt magistri ad incitas redacti: „bonum Homerum nunc quoque dormitasse", vel... aliud quid. Sed suspicor multos iuvenes talia audientes in sinu vel etiam aperte risisse, et si pergerent rogare quomodo deinde se movisset heros, cuius thoraci adhaereret scutum hasta transfixum, nullus Orbilius tam dicax erat, opinor, ut eam quoque quaestionem posset solvere. Deleto vero versu illo

καὶ διὰ θώρηκοσ πολυδαιδάλου ἠρήρειστο,

quem inseruere qui regem nudo pectore pugnantem fingere sibi non poterant, clara et simplicia fiunt omnia, fiunt Homero condigna.

Neque magis dubia videtur res ubi Patrocli caedem poeta canit. Apollo Troiae deus tutelaris manu percutit cervices herois: caligant huic oculi, humi cadit galea, hasta fracta excidit manu, scutum quoque balteo de humero titubantis delapso humi cadit. Quae postquam versibus gravissimis pulcherrimisque sunt narrata, additur:

᾿λῦσε δέ ϝοι θώρηκα ϝάναξ Διὸσ υἱὸσ Ἀπόλλων [2]).

Cetera ante oculos veluti fieri videmus: hoc quoque fingere nobis possumus, solvi a deo thoracis fibulas? An non urgenda sunt haec, sed sic vertenda: „effecit deus potestate sua divina ut thorax solutus delaberetur"? [3]). Immo qui deleri versum molestum omnique ornatu poetico carentem iussit Reichel, verum dixisse videtur, non obmovendus igitur esse versus quo Hectori, postquam arma Patrocli induit, etiam thorax tribuitur [4]).

Sed post Reichelium, Leafium [5]), Robertum [6]), Valetonem nostra-

---

[1]) Priscas quasdam imagines ad hanc opinionem tuendam ab Helbigio Langio aliis allatas esse non nescio.

[2]) *Π* 804. [3]) Cf. e. g. *Γ* 375. [4]) *P* 606.

[5]) W. Leaf Il. I[2] 1901 append. B p. 576—579.

[6]) Studien zur Ilias von Carl Robert, Berlin 1901 (p. 27—44 et al. passim).

tem [1]) de thorace Homerico fusius etiam disputare quid attinet! [2]). Satis enim iam compertum habemus magnis olim scutis armatos fuisse milites, postea clipeis multo minoris ambitus: olim non habuisse thoraces, postea habuisse; et sensim quoniam res humanae in alia solent abire, subit rogare an et armatura sensim et pedetentim abierit in eam quae fuit postea [3]), illius autem aevi quo transitus a more vetustiore ad recentiorem factus est an imaginem praebeat Ilias. Qua in quaestione *mitrae* [4]) habenda est ratio, quae maxima olim Aristarcho — et cui non usque ad Reichelium! — facessivit negotia. Mitra sive balteo aereo heroes multi praecordia et ilia protegunt [5]), thorace milites armati fuerunt aevo posteriore: nonne rectius statuamus excrevisse mitram in thoracem, quam abiecta mitra milites recentiores thoracem induisse? Ita est, opinor: mitra est thorax eam tantum corporis partem protegens *μάλισθ' ὅθι καίριόν ἐστιν*, thorax est mitra ita aucta ut etiam pectus — post Homerum et humeros — tegat [6]): aut igitur mitra aut thorace, qui erat mitra latior, heroes utebantur [7]), neutro Sarpedon eiusve milites [8]).

Ita si nobis informamus rem, synonyma fere fiunt *μίτρη* et *θώρηξ*, verbum autem *θωρήσσεσθαι* id quod *περὶ φρένας δύνειν τι* significat [9]), et vetusti sermonis vestigium servat locutio recentior, qua *θωρήσσεσθαι* sive *θώρηκα* (-*ρακα*) *ἔχειν* [10]) dicebantur quibus „*περὶ φρένας ἤλυθε ϝοῖνος*", — ut cum Homero [11]) loquamur.

---

[1]) M. Valeton in Mnemosyne 1904 p. 105—128 et 151—208.

[2]) Ex iis qui in contrariam partem disputarunt honoris causa commemorati sunto W. Ridgeway et A. Lang.

[3]) „The change must in all probability have been gradual" Leaf l. l. p. 579. „In der Zeit, da das Epos noch im Fluss war, hat es vielleicht schon eine Art von Panzerung gegeben" Reichel l. l. p. 93 (in editione secunda additum).

[4]) *Δ* 137, 187, 216 *E* 707, 857, cf. *Π* 419. *Fasciam* et postea significavit. Cf. e. g. Ar. Thesm

[5]) Quae in sepulcris vetustis repertae sunt mitrae, pedem fere in fronte latae sunt, ita decrescentes ut in tergo non nisi quartam huius mensurae partem aequent.

[6]) „The metallic *μίτρη* is a rudimentary half-cuirass" Leaf l. l. p. 580.

[7]) Cf. Reichel: „niemals werde ich glauben dass man jemals Mitre und Plattenharnisch übereinander getragen hätte" (l. l. p. 93).

[8]) *Π* 419; cf. p. 166.

[9]) *θώρηξ pectus* significavit primitus, hinc *pectoris tegumentum, θωρήσσεσθαι pectus sibi tegere*. Cf. latina *armus* et *armari*: Servius ad Verg. *proprie arma sunt quae armos tegunt, hoc est scutum.* Similis est vocis *ζώνη* et vocum hodiernarum *taille, lijf,* aliarum usus duplex.

[10]) Theogn. 413, 470, 508, 842, 884 Pind. fr. 50 Ar. Ach. 1135 Vesp. 1195 Pac. 1286 Diphil. fr. 46.

[11]) *ι* 362.

Itaque non est cur aut *θώρηξ* vox priscae dictioni abiudicetur aut *θωρήσσειν* verbum; quod *armare* [1]) recte vertit Reichel, indicato Iliadis quodam loco, ubi de Minerva quae dicuntur:

τεύχεσιν εἰσ πόλεμον 'θωρήσσετο [2])

significant: „*aegidem et galeam sumebat*". Etiam Melanthii ad procos verba indicavit Reichel:

ὔμιν τεύχε' ἐνείκω θωρηχθῆναι

ἐκ θαλάμοιο [3]),

quae postquam Melanthius dixit, *scuta et galeas* iis attulit. Non de pectoris igitur solo tegumento sed de armis in universum dicebatur.

Similis fuit usus stirpis *κορυθ*, substantivum enim *κόρυσ* id quo *caput* muniunt milites sive *cassidem* significat [4]), verbo vero *κορύσσειν* non *caput* tantum *muniendi* sed in universum *instruendi* sive *armandi* tributa est vis. Etiam *ζώννυσθαι* semel et iterum *armari* valet, non tantum *cingi* [5]).

Apparet igitur mitram et thoracem coniunctim a poeta commemorari non potuisse, et probe sentimus versuum, quibus narratur Menelaus a Pandaro vulneratus, spurium esse secundum:

διὰ μὲν ἂρ ζωστῆροσ ἐλήλατο δαιδαλέοιο,
καὶ διὰ θώρηκοσ πολυδαιδάλου ἠρήρειστο
μίτρησ θ', ἣν ἐφόρει ἔρυμα χροόσ, ἕρκοσ ἀκόντων,
ἥ ϝοι πλεῖστον ἔρυτο· διὰ πρὸ δὲ 'ϝίσατο καὶ τῆσ,
ἀκρότατον δ' ἄρα χαλκὸσ ἐπέγραψε χρόα φωτόσ [6]).

Neque ipse mox Menelaus thoracis mentionem facit cum fratrem bono animo esse his verbis iubet:

οὐκ ἐν καιρίωι ὀξὺ 'πάγη βέλοσ, ἀλλὰ πάροιθε
ἐρρύατο ζωστήρ τε παναίολοσ ἠδ' ὑπένερθε
ζῶμά τε καὶ μίτρη, τὴν χαλκῆεσ 'κάμον ἄνδρεσ [7]).

Haec vero verba alia molestia nos afficiunt. Mitra gestabaturne

---

[1]) „*Rüsten*".
[2]) *E* 787.
[3]) *χ* 139. Non minus aptum est exemplum quod affert Valeton, *K* 78.
[4]) A nomine *κόρυσ* ductum est *κορυστήσ* sive *galeatus*, quocum conferenda sunt *αἰχμητήσ*, *ἀσπιστήσ*, alia; *ἱπποκορυστήσ* igitur non est is qui *κορύσσει ἵππουσ*, sed qui *ἱππόκομον κόρυν ἔχει* sive *dux* hoc galeae ornamento insignis, et *χαλκοκορυστήσ* is cuius galea aere refulget.
[5]) *Λ* 15 *Ψ* 130.
[6]) *Δ* 135 sqq.
[7]) *Δ* 185 sqq.

in nudo corpore, huic superinducebatur tunica, huic *ζωστήρ* sive cingulum laneum vel loreum, purpura aliisve coloribus insigne, *πορφύρεον, παναίολον*? Sic statuere cogunt nos verba quae attulimus, si genuina sunt omnia. Sed parum probabilis res videtur, et sana ratione eo adducimur ut sumamus milites *apertam* gessisse mitram; hoc enim testantur epitheta *αἰολομίτρησ* et *ἀμιτροχίτων*, quae mire languerent si mitra sub cingulo et tunica soleret abdi. Itaque poetae haec sola videntur tribuenda:

οὐκ ἐν καιρίωι ὀξὺ 'πάγη βέλοσ, ἀλλὰ πάροιθε
ἔρρυτο μίτρη, τὴν χαλκῆεσ 'κάμον ἄνδρεσ,

quae autem delevimus verba neque personae loquentis satis conveniunt, vulnerati enim hominis et omnino huius loci non est laudare cinguli *colorem*, et aliam quoque ob causam intellectu sunt difficilia; nam post *πάροιθε* adverbium non enumeranda sunt singula vestimenta per quae penetravit cuspis, sed ea sola armaturae pars est commemoranda in qua haesit.

Quae si recte sunt disputata, sequitur ut eadem verba deleamus in vicinia, ubi Machaon medicus advocatus

ἐκ ζωστῆροσ ἀρηρότοσ εἷλκεν ὀϊστόν.
[τοῦ δ' ἐξελκομένοιο πάλιν 'ϝάγεν ὀξέεσ ὀγκοί.]
'λῦσε δέ ϝοι [ζωστῆρα παναίολον ἠδ' ὑπένερθε
ζῶμά τε καὶ] μίτρην, τὴν χαλκῆεσ 'κάμον ἄνδρεσ [1]).

Quo loco et alterum officit emblema, quod seclusit Heyne, utpote cum priore narrationis parte non congruens.

Insoliti autem aliquid fuisse tunicam mitra carentem docet *ἀμιτροχίτων* militum Lyciorum epitheton [2]). Horum autem dux Sarpedon nisi *ἀμιτροχίτων* et ipse fuisset, solam igitur tunicam cingulo constrictam gessisset, Patrocli hasta non tam facile penetrasset in eius praecordia,

ἔνθα φρένεσ ἔρχαται ἀμφ' ἁδινὸν κῆρ [3]),

sed fortasse haesisset in mitra, ut sagitta Pandari in mitra Menelai.

Medicis cum curandum est vulnus aliquod maius, sanae viventis-

---

[1]) Δ 215 sqq. — Militum *ζωστήρ* sive *cingulum* praeterea commemoratur Δ 132, 134 sq., 186, 213, 215 Ε 539, 615 Ζ 219 Η 305 Κ 78 Λ 236 Μ 189 Ρ 519, 578 Υ 414, *ζῶμα* sive *subligaculum* Ψ 683 ξ 482.

[2]) Π 419.

[3]) Π 481, cf. etiam vs. 504.

que cutis particulas exiguas corio inflammato imponere solent aliunde detractas; quae postquam adhaeserunt, procrescunt sensim et mox inter se contingentes laesam corporis partem nova cute vestiunt. Simili ratione milites, qui ἐϋμιτροχίτωνεσ erant olim, clipeo corpus sola mitra munitum tegentes, postea χαλκοχίτωνεσ sunt facti, tandem χαλκεοθώρηκεσ [1]). Nam χαλκοχίτωνα epitheton [2]) non significare eum qui *thoracem aereum* sed eum qui *tunicam aere munitam* gerat, neque recentioris sed prisci aevi hoc esse adiectivum, docet lingua et optimo iure statuit Valeton [3]). Nam *tunicam* cum dicit poeta, non aliud quid significare vult, sed veram *tunicam* sive vestimentum corpori proximum, cuiusmodi autem tunica sit cogitanda indicat altera compositi poetici pars [4]); *aere* igitur *fulgentes tunicas* gerunt Achivi. Non ornamenti autem sed tutaminis causa additae fuerunt aereae illae laminae sive maiores sive minores [5]). Quae laminae postquam et inter se et cum mitra concreverunt, *thoracem* sive *indumentum bellicum* [6]) effecerunt *aeneum*. Etiam *linteos* thoraces fuisse olim, ut fuere postea [7]), et melius intellegi poetae verba θώρηκοσ γύαλον [8]) et κραταιγύαλον [9]) si cogitetur corium vel linum laminis aereis munitum, quam si una solidaque superficies thoracis ex aere confecti, optimo iure statuit Valeton. Id quod luculenter declarant versus quibus narratur Dolopis cum Megete pugna. Medium adversarii scutum alter ferit cominus,

---

[1]) Quod epitheton apud Homerum non nisi *Δ* 448 *Θ* 62 legitur in versibus manifeste interpolatis.

[2]) De quo cf. cap. IX, pag. 148 sq.

[3]) L.l. p. 112. Cf. Ridgeway Early Age of Greece I p. 421 sq. et 435. — Qui autem *N* 440 dicitur χάλκεοσ χιτών, intellegendus est *aere ornatus*, quemadmodum ἡνία vel πέδιλα χρύσεια sunt *inaurata*.

[4]) Verum sensit Reichel, non tamen dixit totum, sed *aere vestitum* infelicius interpretatus est collata „tunica" illa „lapidea" (*Γ* 57), quam Paridi minatur Hector. Epitheto χαλκοχίτωνι non subest *comparatio* („aere ita vestiti ut alii homines tunica"), sed *ex vero* pinguntur milites quorum tunicae aere resplendent.

[5]) Reichel² p. 94 confert militum „Schardana" loricam duabus tribusve vel quatuor laminis aereis („2—4 Blechstreifen") ornatam. Plura additur0 calamum e manu excussit mors. „cetera silentium".

[6]) Sic Valeton.

[7]) *B* 529, 830 Alcaei fr. 15 Herodot. III 47 Xen. Anab. IV 7 § 15 Liv. IV 20 Nep Iphicr. § 4.

[8]) *E* 99, 189 *N* 507, 587 *P* 314.

[9]) *T* 361.

πυκινὸσ δέ ϝοι ἤρκεσε θώρηξ,
τόν ῥ᾽ ἐφόρει γυάλοισιν ἀρηρότα [1]).

Quo loco particula ῥα testatur rei insolitae, certe rei quae minime per se intellegatur, fieri mentionem; quod autem γυάλοισιν ἀρηρώσ dicitur Megetis thorax, vana haec forent verba si omnes thoraces ita fuissent instructi ipsaque γύαλα thoracem effecissent. Cavendum vero ne inter se confundamus vocabula θώρηκα (= μίτρην auctiorem) et χιτῶνα, indumenta *externum* et *internum*, id quo ictus arcentur et id quo frigus.

De thorace ita ut post alios fecimus disputantibus Odysseae ne unus quidem versus molestus est: thoracum nulla in ea fit mentio, pugnarum autem saepius. Ex Iliade vero thoraces nisi vi temere adhibita removeri nequeunt [2]). *Diomedis* thoracem poeta haud uno loco commemoravit [3]), item thoracem *Asteropaei* ab Achille ei ereptum [4]), sedula autem cura pinxit thoracem *Agamemnonis*, donum regis Cyprii [5]). Praeterea hic illic aliorum thoracum fit mentio, praesertim in ea carminis parte ubi *Idomenei* virtus celebratur; ubi et *Menelai* commemoratur thorax [6]). Itaque dubium est an etiam *Achilli* cum ceteris armis thoracem fabricare sinendus sit Vulcanus; cuius tamen thoracis mentio ipsi poetae deberi non videtur [7]).

Sed χαλκοχίτωνεσ καὶ αἰολομίτραι qui dicuntur, eosdem thoracibus — sive aereis sive scorteis sive linteis — indutos cogitare neque ars poetica nos sinit neque ipsa vis verborum, et ut verum sit quod scripsit Robert: „voces θώρηξ et χιτών aevo Mycenaeo idemne an diversa significarint sciri iam non posse" [8]), — cui minime obloquor, quoniam linguam prisci illius aevi ignoramus, — in epicis

---

[1]) *O* 529 sq.

[2]) Locis tamen sequentibus postmodo in textum invectus videtur thorax: *Γ* 332 sq. (= *T* 371), 358 (= *Δ* 136 *H* 252 *Λ* 436) *Δ* 132 sq. 448 sq., *Z* 322 *Π* 133 sq., 804 *Σ* 459ᵇ sq.ᵃ, 610ᵇ sq.ᵃ *T* 371 (= *Θ* 62 sq). Quorum plerosque in hac disputatione tetigimus.

[3]) *E* 99 sq., 189 *Θ* 194 sq. *Ψ* 819.

[4]) *Ψ* 560—562.

[5]) *Λ* 19—28; cf. vs. 234.

[6]) Cf. *N* 265, 342, 371 sq., 397 sq., 507, 587, 591. — Praeterea hic afferendi sunt, quorum nullam dum fecimus mentionem, *B* 544 *E* 100, 189, 282 *Θ* 195 *T* 361 *Y* 415.

[7]) *Σ* 459 sq., 610 sq. *T* 371 (supra nota 3).

[8]) L. l. p. 42.

certe carminibus et in dictione priscorum cantorum non eandem utriusque esse vim pro certo affirmare licet.

Ubi autem *τεύχεα* vel *ἔντεα* milites dicuntur *δύσασθαι*, *ὤμοισιν ἐνεγκεῖν*, *ἐκδύσασθαι*, *ἀποθέσθαι*, vel hostium caesorum *ἀπὸ κρατόσ τε καὶ ὤμων ἑλεῖν* [1]), poetae verba quomodo sint accipienda clare docet Hector sic secum reputans: „*ut mulierem imbellem necabit me Achilles*

ἐπεί κ' ἀπὸ τεύχεα δύω" [2]),

quae verba sic interpretatur ipse: „*ἀσπίδα καταθέσθαι καὶ κόρυθα βριαρήν*" [3]). Nec minus aperta sunt verba, quibus saepius usi sunt poetae epici:

ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε [4]),

vel quae de Ulixe aciem suorum obeunte dicit Priamus:

„*τεύχεα μέν ϝοι κεῖται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρηι*" [5]),

vel verba poetae de Menelao a pugna singulari desistente:

γηθόσυνοι θεράποντεσ ἀπ' ὤμων τεύχε' ἕλοντο [6]).

Nam nimis inepti profecto fuissent milites, si in acie adstitissent non solum scuto hastaque innisi sed etiam posito thorace [7]). Et ipsa verborum vis idem docet; nam *ab humeris auferri* recte dicitur *scutum* vel *ensis*, thorax vero *solvendus* erat; *humeris* gestatur balteus scutum sustentans, thorax vero *circa pectus*. Item *ὑπὸ τεύχεσι πεπτηῶτεσ* iacere ubi dicuntur milites [8]), cum versus qui sequitur *ηὗδον δ' εὔκηλοι σάκεσιν ϝεϝλυμένοι ὤμουσ* docet quid significet *τεύχεα*, tum ipsum quod huic vocabulo adiunctum est verbum *πτήσσειν*. Cuiusmodi locis si quis armatis non solum *πλευρὰν βαθυτάτην καὶ χέρασ καὶ λαγόνε* tribuat sed etiam *θώρακα*, respondeat iam quilibet: „*παῦε, παῦ', οὐδὲν λέγεισ!*" — meliora enim edocuit nos Reichel. Non omnis ille est mortuus: vivet eius nomen, immo opus eius vivet dum vivent litterae Graecae; gratias ei agunt habentque omnes quibus cordi sunt carmina Homerica et ipsa poesis.

---

1) E. g. *Π* 663; ubi de *Sarpedone* est sermo, cui thoracem non fuisse patet vs. 504.
2) *Χ* 125.
3) Ibidem vs. 111 sq. — Et haec quidem dudum docuerunt Heyne alii.
4) *Γ* 29 *Δ* 419 *Ε* 494 al.
5) *Γ* 195.
6) *Η* 122. Cf. etiam *Λ* 222 *Ζ* 235 sq. al.
7) „Das hiesse doch die Gemüthlichkeit zu weit treiben" (Reichel p. 65, 1).
8) *Ξ* 474.

XI.

DE EQUO TROIANO [1]).

„Graecos nihil olim de belli Troiani exitu per hominum memoriam traditum accepisse, luculenter testatur dolus quo urbs tandem capta esse fertur. Fortissimi scilicet heroum in alvo equi ingentis e ligno aedificati se abdiderant, quem Troes in urbem pertraxerunt! Puerulis vel stultis sic respondetur: veri aut serii isti ioco nihil inesse quivis sentit".

Muellenhoffii his verbis adstipulatus Paulus Cauer [2]) addidit hinc quoque apparere — id quod cum aliis censet ipse — antiquissimos Graecorum poetas multa quidem de Achivorum Troianorumque praeliis cecinisse, finem vero belli diuturni nullum cognitum habuisse, certe nullum commemorasse.

Quae quomodo cuiquam placere potuerit sententia miror. Nam dubium non est quin etiam antiquissimi vates carminibus suis celebraverint res — sive veras sive fictas — quae ipsorum aetatem longe antecessissent aut antecessisse fingerentur, itaque haudquaquam est credibile nullum iis in promptu fuisse responsum, si ex iis quaereretur quemnam igitur exitum priscum illud bellum habuisset. An credimus eos percunctantibus responsuros fuisse: „belli illius causam et initium et decursum indicare pos-

---

[1]) Haec dissertatio primum prodiit in Mnemosyne, 1° April. 1901; patrio autem sermone antea eadem disputaveram in Academia nostra Regia (cf. Versl. en Meded. der K. Ak. v. Wet. Afd. Letterk., Februar. 1901).

[2]) Grundfragen der Homerkritik[1] p. 141.

sum: ipsum finem nequeo, quippe qui nesciam cuiusmodi is fuerit?" Credimusne auditoribus ex illorum ore pendentibus, sive in Thessalia sive alibi hi sunt quaerendi, placere potuisse carmen quod ad eventum tendere ne posset quidem, quia nullum eventum, qui quidem carmine referri posset, ingens illa hominumque deumque contentio habuisse putaretur?

Quis credat priscos abavos Graecorum illorum, quorum lucidum ingenium inconcinna quaevis aversabatur, istiusmodi speciminibus artis poeticae fuisse contentos? Quis credat illius aevi pueros adultos non, ut puerulos nostros puellasve fabulis romanensibus intentas, ante omnia scire cupivisse quem exitum habuissent res quae sibi narrarentur? Menelausne suam Helenam recuperasset? Achivi ipsa urbe essentne potiti?

Ego certe illam opinionem vero nimis nimisque dissimilem duco. Quod cum profiteor, minime simul impugno sententiam quam de equo ligneo iecit Muellenhoff. Immo invictum et mihi videtur *ῥῆμα* illud *βραχὺ καὶ ξυνεστραμμένον*, quo fabellam inanem petivit; itaque probe sentio ei, qui censeat *originem* huius fabellae a Muellenhoffio perperam in ingenio hominis petulanter iocantis esse quaesitam, excogitandum esse quod ipse respondeat rogantibus unde igitur ducta fuerit mirifica ista narratiuncula, quam „puerulis stultisque scriptam" iure ille dixit.

Reputemus modo quam sit mirifica. Id quod ex ipso Homero minus apparet; nulla enim in Iliade [1]), rara in Odyssea [2]) equi lignei sunt vestigia. Commemoratur autem, non describitur; Troiae excidio quomodo inservierit parum luculenter aut omnino non indicatur.

Aeneae demum apud Vergilium narratione machina illa clara in luce ponitur. Equum nimirum ingentem Achivi postquam extruxerunt manuque lectissima implerunt, castris incensis alta petunt. Troes tum laeti visere littus desertum; qui equo reperto dum dubitant quid faciant, — omittere nunc licet quae de Laocoonte referuntur, — Sinon unus ex Achivis, transfugam se mentitus, iis persuadet ut equum in urbem pertrahant, sic enim posthac tutam

---

[1]) Cf. tamen Ψ 670 sq. et l. a. Γ 30.

[2]) δ 271—284 ϑ 492—520 λ 523—532.

fore a gentibus exteris. Nocte silenti postquam ex equi in arcem recepti alvo prorepsere milites, portam urbis recludunt sodalibus, qui clam Troianis redierant.

Sic Vergilius, priscam *Ἰλίου πέρσιν* nunc deperditam sive liberius sive fidelius interpretatus. Si quis autem Aeneidem illam, quacum a pueris consuevimus, ita ut si carmen esset hodiernum sibique hactenus ignotum legere et mente perpendere conatur, fieri non potest quin mentem legentis feriat inutilis quaedam fabulae ubertas, quam Vergilius, dum traditam materiem rara arte effingit, celare quidem studuit et Sinonis subtilissimis mendaciis obductis tantum non celavit, removere tamen ne ille quidem potuit. Non enim dolus est qui enarratur, sed *duo* sunt *doli*. Praeter ingentem illum *equum*, cui Troes nimis stulte creduli moenia sua ultro recluserunt, habemus *proditorem* urbis civibus imponentem Achivis infestum se fingendo. Quod aliunde quoque bene notum est argumentum multisque in fabulis celebratum. Fraudulentus enim ille Sinon [1]) aemulus est Ulixis *τοῦ πτολιπόρθου*, qui *αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀϝεικελίῃσι δαμάσσας* corpore laniato laceraque veste hostes adiit utque in Troiam admitteretur effecit [2]). Aemulus est Zopyri, qui Babylon ut capi posset nasum auresque sibi praecidit ipse [3]). Et nonne Sextus Tarquinius simillimam rationem iniit, ut Gabiis potirentur Romani? Quid autem nisi hoc ipsum sexcenti moliti sunt speculatores, ex quo urbes oppugnari sunt coeptae?

Callida fraude circumventi Troiani proditorem urbe recipiunt, qui mox nocte intempesta Achivos extra Troiam latitantes vocavit face ex arce sublata. Quorsum vero fax illa Sinonis, quam Vergilius prudenti pressit silentio, antiquiores vero poetae uno ore commemorarunt [4]), quorsum — si ipsa arx ab Achivorum agmine iam tenebatur?

---

[1]) *Sinon*, perinde atque *Sinis ὁ πιτυοκάμπτης*, nomen habet a *laedendi* verbo *σίνεσθαι*. Ulixis autem — apud posteros certe — fuit consobrinus (cf. schol. Lycophr. 344). A Sophocle fabula est celebratus, et ab Aristotele (Poet. 23) inter carminum epicorum varia argumenta commemoratus.

[2]) *δ* 244 sqq.

[3]) Herodot. III 154.

[4]) In *Ἰλίου πέρσει* Arctini *Σίνων τοὺς πυρσοὺς ἀνίσχει τοῖς Ἀχαιοῖς, πρότερον εἰσεληλυθὼς προσποιητός*, quae Procli sunt verba in Chrestomathia. Non Achivum vero hominem sed *Antenorem* Troianum urbem prodidisse face ostentata equoque recluso, fuere qui fingerent, virum probum et prudentem illum, quem celebravit Homerus,

At clara et concinna fiunt omnia, si equum illum ligneum aliquantisper semovere licet. Cives securos postquam somnus oppressit, proditor ex arce Achivis ostendit signum quod inter eos convenerat, dein Scaeam portam hactenus a vigilibus occupatam, iam vero post hostium discessum per insperatae pacis otia desertam, iis reserat [1]: intrant Achivi, urbe potiuntur. Simplex haec est et perspicua rerum enarratio, nimis simplex fortasse, non tamen simplicior quam sunt ea quae de aliarum urbium expugnatione, exempli gratia de Babylone a Cyro capta [2], narrata accepimus; neque in fictis tantum poetarum fabulis sed etiam in ipsa vita talia haud ita raro acciderunt.

Hoc igitur dico: ipsos fontes talem nobis praebere rerum decursum, in quo montis instar equus minime requiratur ad urbem expugnandam. Itaque qui Muellenhoffio concedit fabulam, quae est de equo ligneo, absurdam esse, minime cogitur simul concedere ipsum urbis excidium priscis vatibus aut ignotum aut ab ipsorum carminibus alienum fuisse.

Unde igitur ducta est narratiuncula tam inutilis quam ridicula et operose conficta? Numquid satis respondisse videtur Muellenhoff, cum perhiberet excogitatam esse ut stultis os obturaretur quae sciri nequirent sciscitantibus? Verine videtur simile a poeta nimis faceto hanc fabellam esse excogitatam? Taliane de nihilo confinguntur?

Non multos esse arbitror quibus Muellenhoff videatur rem acu tetigisse. Quapropter periculum est faciendum an magis probabilis explicatio possit proferri. Ad quam inveniendam nihil opus est quae longius remota sunt adscisci: Homerus nunc quoque adest

---

in proditorem igitur mutantes (cf. Lycophron 340 cum scholiis). *Facis* autem etiam apud Tryphiodorum et Quintum fit mentio. Vergilius vero cum neque omittere eam posset e fabula notissima, neque quid Sinon ea facere posset videret, priscum argumentum ita mutavit ut melius quadraret in rerum ab ipso enarratarum compagem: *ex Achivorum* nimirum Tenedo redeuntium *navibus* fax ostenditur Sinoni in arce eos opperienti. Aeschylus denique facis in Troiae excidio sublatae qualem mentionem fecerit in Agamemnone tragoedia, nota res est.

[1]) Apud Vergilium *laxat claustra Sinon* — non *portae* sed *equi* lignei. Quae admodum inutilis videtur cura. Nam *extrinsecus* nulla apparuisse repagula ianuae maxima cura celatae, a parte igitur *interiore* ab ipsis militibus eam claudi atque recludi debuisse, clamat ratio.

[2]) Herodot. I 191.

Homeri interpres, solus autem sufficit ad indicandam originem equi ingentis quo Troia fertur esse capta.

In cautibus orae Aegaeae spumeus frangitur maris aestus. Novi semper fluctus urgente procella provolvuntur; novi semper undarum montes in duro saxo elisi mare et littora complent fragore. En fera ardentiaque agmina Neptuni, en equi indomiti [1]) ex immensis eius regnis in terram irruentes trementem. Regnat ibi ex quo magnus hic saeculorum ordo est natus, maris dominus unicus, ut Iuppiter caeli et Orcus sedum caliginosarum unde non reditur.

At aemulus ei est exortus, qui lacertorum quidem robore parum valet, at mente valet. Qui taurum e nemorum latebris protractum sub iugum misit, ut unco vomere glebam sibi rescinderet famulus docilis; qui equo per latas planities lascivienti frenum iniecit, ut cursu citato se veheret cum ventorum flabris certantem; qui magnae matris gremium messes sibi parere iussit et ipsum ignem Iovi subductum sibi fecit ministrum. Novus hic terrae dominus, *ἀριφραδὴσ ἀνήρ*, Neptuni quoque dominium appetit. Longius longiusque a littore digressus verrit aequora gracili cymba confisus, donec orae assuetae oblitus alta petit uno vento itineris comite. Nereides Tritonque et ipse Neptunus stupent mortales per ipsorum regiones vectos

miranturque novos pisces et non sua monstra.

Maxima haec est hominis victoria; posthac non glebae adscriptus in angusto aliquo terrarum angello delitescet: cuncti iam orbis ei patent opes. Iam naves ipsius ingenio directae et veluti ipsius mente agitatae longinquas oras petunt, ceu accipitres, quorum oculis eminus monstrata est praeda; ceu equi generosi, qui voce aurigae incitati peritaque eius manu ducti in scopum et colla et corpora tendunt.

---

[1]) *Fluctus* irruentes sunt *equi* cursantes Neptuni *τοῦ κυανοχαίτου, τοῦ ποντίου θεοῦ, ὃσ κυανέαισ ἵπποισ διφρεύει ἅλιον πέλαγοσ*, et claris inventionis poeticae luminibus insignis est Iliadis ille locus, ubi maris rex pingitur curru per caerula vectus (*N* 23 sqq.; cf. Apoll. Rh. I 1158). De *Ἱππίου* autem cognomine *τοῦ ποντομέδοντοσ ἄνακτοσ* nota sunt omnia, nec non quivis meminit Neptunum primum equum creasse et equos complures propter celeritatem inclutos (Arionem illum, equos Pelopis, Idae, Achillis *Ψ* 278 sq.) mortalibus dono dedisse vel etiam procreasse.

Nae *pelagi equi*, *ἁλὸσ ἵπποι* [1]), nomen unum omnium aptissimum hoc est carinarum, quibus Neptunia regna visere sustinet terrae proles,

ὄμματ' ἐν ἄστροισιν, ψυχὴν δ' ἐν πόντωι ἔχουσα [2]).

„Ut quadrigae sub ictu flagelli animose se attollentes, sic navis pectore exurgens in maris undas se coniecit iter initura":

ἡ δ', ὥσ τ' ἐν πεδίωι τετράοροι ἄρσενεσ ἵπποι
πάντεσ ἅμ' ὁρμηθέντεσ ὑπὸ πληγῆσιν ἱμάσθλησ
ὑψόσ' ἀειρόμενοι ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον,
ὣσ ἄρα τῆσ πρώιρη μὲν ἀείρετο, κῦμα δ' ὄπισθε
πορφύρεον μέγ' ἔθυιε πολυφλοίσβοιο θαλάσσησ.
ἡ δὲ μάλ' ἀσφαλέωσ 'θέεν ἔμπεδον· οὐδέ κεν ἴρηξ
κίρκοσ ὁμαρτήσειεν, ἐλαφρότατοσ πετεηνῶν [3]).

Cuius imaginis [4]) inventorem in Thessalorum aliorumve montium saltibus, non in littoribus Ioniae esse natum sentimus: peperit eam admiratio, qua feriuntur terrarum interiorum incolae cum primum adspiciunt navigia per undas cursitantia.

Ceu generosus equus navis Phaeacum provolat spuma conspersa. Solo quidem neque plano utitur neque firmo, ut hominum currus per campos ruentes, nam per aequora mobilia et undantia, per *ὑγρὰ κέλευθα*, perficit iter: cursu tamen nihilo minus certo minusve celeri appetit metam. Sponte autem viam legit per templa caerulea, suopte instinctu mota, suopte ingenio directa [5]); mentem enim innatam sibi habet prodigium illud regionis fabulosae, quod mox a Neptuno in saxum mutabitur.

Vitam autem et ingenium, quibus fruuntur naves Phaeacum *τῶν ἀγχιθέων* et Neptuno dilectorum, suo quoque navigio, artis mortalis operi, tribuit piscator qui maris Aegaei littora legit,

---

[1]) *δ* 708; cf. Hom. epigr. 13: *ἵπποι δ' αὖ πεδίου κόσμοσ, νῆεσ δὲ θαλάσσησ.*

[2]) Aristeas in Arimaspea.

[3]) *ν* 81 sqq.; quem locum imitatus est Apollonius Rh. IV 1604 sqq.

[4]) Non dico versus supra allatos, sed ipsam navis cum equo comparationem.

[5]) Sic etiam Iasonis illa *Argo vocalis*, *Ἀργὼ αὐδήεσσα, λάληθροσ*, ipsa viam iniit, altaque adeo voce initium itineris significavit, mox nautas hortata ut caverent a periculo instanti. Mentem enim divinam ei inflaverat Minerva et trabem e quercu Dodonea recisam carinae inseruerat. Cf. Aesch. fr. 19 Apoll. Rh. I 526 sq., II 613, IV 580, 1546 Lycophr. 1319 sq. cum schol. — Praeterea in mentem nunc venit gryphi alati, quem in Aeschyli dramate (Prom. 287) *γνώμηι στομίων ἄτερ εὐθύνει* Oceanus Prometheum visens.

tribuit mercator insulas visens. *Amica* nautae est cymba illa gracilis per fluctus saltans, amica ei est praedatoria illa navis per brevia fretorumque anfracta lenibus gyris iter sinuans, amica ei est oneraria turgens, quae per lata aequora festinat [1]) velis expansis ceu larus alis vecta [2]), gaudens aura ab Iove immissa [3]). *Oculos* in prora habet pictos [4]), quibus petat iter per aquarum deserta [5]); *genae* rubent minio [6]), velis sui sunt *pedes* [7]), tonsis *palmulae* [8]). Femineo autem ornata est *nomine*, et ea quoque aetate, qua dudum deferbuerat carminis epici vis vegeta, in comicorum iocis [9]) facta est mentio colloquiorum inter „puellas'' illas marinas habitorum. In veras autem maris deas mutatas esse naves, quibus Aeneas in Italiam est transvectus, finxit Vergilius [10]).

Illi robur et aes triplex circa pectus erat, qui primus Neptunia regna visere sustinuit. Humanae autem non erat fabricae tenuis illa carina fluctibus inequitans, cui terrae filius se credidit. Quippe dis curae esse se tunc quoque sensit: hac quoque in arte ipsos deos habuit magistros. Primam ei navem aedificavit Minerva omnium artium patrona.

Primam navem cum dicimus, *Argo* dicimus, qua Iason eiusque comites terram recenti sole rubentem aureumque illud vellus petiverunt [11]). Fabula autem quae est de Argonautarum itinere licet

---

[1]) *It, currit, properat* navis (*Α* 483 *γ* 281 *ν* 115 al.).

[2]) *Vela* et *remi* sunt navium *alae*: *ἐρετμά, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται* *λ* 125; *πρῶτοι 'ζεῦξαν νέασ ἀμφιϝελίσσασ* (Myrmidones), *πρῶτοι δ' ἱστί' ἔθεν νηὸσ πτερὰ ποντοπόροιο* Hesiod. fr. 76.

[3]) *ἀγαλλομένη Διὸσ οὔρωι* *ε* 176.

[4]) Tales naves cernuntur exempli gratia in vase saeculi a. C. VII[i] vel VI[i] ab Aristonotho quodam picto, quod Romae in Museo Tusco asservatur, pugnam navalem et Polyphemum ab Ulixe occaecatum exhibens.

[5]) *πρόσθεν ὄμμασι βλέπουσ' ὁδόν* Aesch. Suppl. 716.

[6]) *μιλτοπάρῃοι, φοινικοπάρῃοι* naves audiunt Homero.

[7]) *πούσ*, *pes* dicitur funis quo veli pars inferior retinetur.

[8]) *ταρσοί* sunt remorum *palmulae*. Etiam *ἐπωτίδασ* habuit prora triremium. Neque mentione indignum videtur, navibus, ut bubus aratoribus et equis currui alligatis, sua fuisse *ζυγά*.

[9]) Ar. Eq. 1300 sqq.

[10]) Cf. Verg. Aen. X 220 sqq. — Praeterea huc pertinent animalium nomina *cantharus* navigiis Naxiis, *sus* Samiis indita (*ναῦσ δέ τισ ὠκύποροσ Σαμίη συὸσ εἶδοσ ἔχουσα* Choerilus Samius), et quam maxime huc faciunt navium epitheta Homerica *ὀρθόκραιρα* *rectis cornibus ornata* et *μεγακήτησ* *vasta* (*Θ* 222 al.), quae item animalibus potissimum sunt apta.

[11]) Argus apud Homerum mentio fit *μ* 69—72.

minime pura qualisve ex ipso fonte prodiit sed variis incrementis turgens et turbida ad nos pervenerit, unam tamen virtutem per longa saecula servavit intactam. Nempe dum sensim in eius alveum, veluti in *μισγάγκειαν* aliquam multorum rivulorum capacem, confluxere quae in fabulis de Atridis Aeacidis Ulixe Theseo Cadmo aliis fontes suos habebant [1]), ipsa tamen fabulae summa talis mansit qualis primitus fuerat, mansit simplex et una, integrior igitur puriorque mansit quam est ea quae de Agamemnonis Achillisve facinoribus ad nos pervenit. *Una* navi, una *πεντηκοντόρωι*, in Terram illam ignotam Iason est profectus, unde victor Iolcum rediit [2]). In eadem autem regione fuit patria Achillis [3]), ad bellum gerendum etiam Nereidis hic filius in longinquum orientem profectus est, . . . sed in carmine epico, quo eius fortitudo celebratur, ipse tantum non latitat inter reges ceteros e permultis Graeciae gentibus collectos, et navis qua Troiam pervenit una est e plurimis, quae densis ordinibus in Troadis littore stant subductae.

Siccine res ab Achille gestae etiam primitus celebratae fuere? Minime rerum. Sed ut ante eum Hercules una navi [4]) Laomedontis urbem cepit, ut Iason regnum Aeetae una, *sua* nimirum navi invasit, ut fabulae quae sunt de Minoe et Aegeo et Theseo unam tantum navem norunt, sic etiam heroi Thetide genito quin *una* in antiquissimis carminibus navis fuerit, haudquaquam est dubium. Antiquissima autem cum dicimus carmina, illud aevum cogitamus quo ad radices montium Pelei et Olympi natae sunt fabulae Peliden celebrantes, quae postea coaluerunt cum laudibus Atridarum Ulixis aliorum heroum inter alias gentes cantatis [5]). Aevum quo

---

[1]) Inversa autem ratione ex Argonautarum fabula quaedam fluxisse quae recentiores de Achille aliisque heroibus Homericis cecinerunt, nota res est, sed ab argumento nostro aliena.

[2]) Sic in fabulis Thebanis *septem* illi heroes celebrantur, de eorum copiis vix quicquam dicitur; mens poetarum auditorumque cernit Capaneum moenia conscendentem, cernit Tydeum sanguinis sitientem, non cernit milites ab iis ductos. Etiam Hercules vel Theseus *solus* perpetravit facinora quibus inclaruit, *εἷσ πολλῶν ἀντάξιοσ ὤν*. Et Ulixes in patriam redux *solus* adversarios aggressus est, *ὀλέσασ ἄπο πάντασ ἑταίρουσ*.

[3]) *Μυρμιδόνων τε πόλισ κλειτή τ' Ἰαωλκόσ* Hes. Scut. 380.

[4]) *Sex* commemorat Ilias (*E* 641), apud recentiores (Apollodor. II 6, 4 § 1) *duodeviginti* ei tribuuntur.

[5]) Prisci temporis echo fortasse etiamnunc percipitur Iliadis locis quibusdam, ubi non *naves* Achillis commemorantur sed *una* eius navis, e. g. *A* 329 (in vicinia pluralem legi non me fugit) vel *I* 137

Argos *τὸ ἱπποτρόφον* in Thessalia erat situm neque alibi usquam a poetis epicis quaerebatur [1]. Aevum cuius plurima eaque clarissima vestigia servat Ilias.

Illa igitur navis, quae Achillem cum suis vexit [2], dicta est *ligneus equus*, *ἁλὸσ ἵπποσ* [3] Priami urbi perniciem illaturus [4]. Ipse Neptunus moenibus olim eam urbem cinxit [5]; post certas hiemes equus a Neptuno missus venturus est ut ea diruat; sic fata ferunt [6]. Mare tutabatur Troiam quamdiu navibus per freta non ibatur: at idem mare hostem est allaturum navi praedatoria vectum.

Sed dum per multas hominum aetates prisca tela novis identidem coloribus distinguitur et raro stamini — secundum Hesiodi illud praeceptum — densa densioraque semper inseruntur subtemina; — dum fabula simplex et perspicua ingenti rerum variarum abundantia ornatur atque obruitur; — dum nulla non Graecorum gens suas sibi partes flagitat in bello ab atavis exantlato; — dum campus Troianus oppletur infinitis militum copiis, dum littus Troianum classe tegitur innumera, qualem postea habuit Xerxes, et nova semper inventa per priscae fabulae artam compagem

---

1) Cf. pag. 153, 1.

2) Achilles deae marinae filius expeditioni maritimae ipsis natalibus videtur fuisse destinatus. Non quo negem in antiquissimis Thessalorum mythis pugnas heroum cum Centauris et aliis montium nemorumque monstris celebratas fuisse potius quam bella cum gentibus externis gesta, sed in priscis illis fabulis etiam filio Thetidis aliquas fuisse partes minime constat.

3) Operae pretium est recordari, uni inter Thetidis sorores *Hippo* fuisse nomen. Et dignissimus qui conferatur est *τεθριπποβάμων* ille *στόλοσ*, quo *Πέλοψ πελάγεσι διεδίφρευσεν* (Eur. Or. 390).

4) Si cui minus tamen est persuasum priscos poetas Achillem cum una navi Troiam misisse, ne sic quidem est cur eam in qua versamur argumentationem aspernetur. Nam consentaneum est, navem qua ipse dux belli vehebatur, *τὴν στρατηγίδα ναῦν*, prae ceteris semper fuisse commemoratam, isque etiam in Iliade valet mos; et Graecos postea certe *τὴν ἵππον* collective dixisse — ad equitum turmas significandas — nemo nescit. Sed ad me quod adtinet, hanc explicandi rationem eo tantum consilio indicavi ut eam reicerem.

5) Cf. *Φ* 446 sq.; ad idem fabularum genus referendus est Hercules *belua a Neptuno missa* sub Troiae muris oppressus, a Minerva autem servatus, *Υ* 145 sqq.

6) Cf. *E* 63 sq. — Apud Tryphiodorum *Helenus* vates Troianus, qui arte *Cassandrae*, nomine autem *Helenae* mirum quantum est similis, Achivis nuntiat qua fraude capi possit Troia; apud Quintum *Calchas* vates auctor existit equi lignei aedificandi. Alia fabula *Palamedem*, sollertissimum Ulixis aemulum, equum fecisse ferebat ab augure *Prylide* edoctum (schol. Lycophr. 219). Etiam Iliadis is locus, ubi Calchas dicitur classem Achivorum in Troadem deduxisse *ϝὴν διὰ μαντοσύνην* (*A* 71), dignus est qui in memoriam nunc vocetur.

efflorescentia omnes eius iuncturas laxant, — tandem eo est perventum ut simplex illa et pulcherrima „equi Neptunii" imago parum intellecta non iam suo pretio aestimaretur: passa tunc est eam sortem quam Heinii carmen canorum [1]) habuit apud nostratem quem meminimus Batavum Droogstoppel: „Tu scilicet delinea mihi rosam auritam!" — Et Graecia habuit qui aures affingerent rosae: aedificatus est equus Troianus et ianua scalis pedibus pedumque rotulis instructus.

Etiam in Odyssea [2]) commemoratur ingens ille equus ligneus, cuius alvo lectissimi Graecorum heroes se abdiderunt [3]), inter eos vafer Ulixes. Narratur quomodo hic caverit ne ipsi se voce sua proderent socii; narratur quomodo Helena, quae doli erat conscia, cum ad molem fallacem accessisset, paene effecerit incauta ut fraus a Troianis detegeretur. Etiam nomen artificis *Epeum* sive Epeorum Elidis incolarum eponymum audimus; e recentioribus autem [4]) discimus nepotem hunc fuisse *Phoci* Aeacidae, herois eponymi Phocensium [5]). Delphos igitur et oraculorum dictionem allegoricam eius nomen nobis in mentem revocat [6]). Denique discimus equum tunc, cum Helena propius ad eum accessit, in arce Troiana ante regis aedes fuisse collocatum; quo quoniam pervenire non potuit nisi ab ipsis Troianis protractus, apparet lineamenta fabulae quae est de equo Troiano ante tempus, quo Odyssea est

---

[1]) „Auf Flügeln des Gesanges".

[2]) Loci cf. supra pag. 171, 2.

[3]) Quot fuerint non dicitur illic, sed *quinquaginta* videntur cogitandi, qui et in navibus solitus erat virorum numerus, — tot enim *Iasonis* comites fuere, tot *Phaeacum* sunt remiges (θ 35), tot *Philoctetae* naves singulae habebant milites αὐτερέται (B 719), tot *Achillis* (Π 169 sq.), *Ulixis* (κ 208), *Nestoris* (γ 7 sq.), — et sollemnis fere est in huiusmodi fabulis: quinquaginta hostes in insidiis collocatos profligat Tydeus (Δ 393), quinquagena capita sunt gigantibus centimanis, quinquaginta Nereo Aegypto Danao Priamo Lycaoni aliis sunt liberi. — *Centum* heroas in equi alvo latuisse ferebat Stesichorus, paucorum tantum nomina indicans; quos posteri nominatim enumerarunt cunctos (cf. Athen. 610 *c*).

[4]) Cf. Asius apud Pausaniam II 29 § 3, Euripid. Troad. 10, et cf. schol. Lycophr. 53.

[5]) Pausan. I 23 § 10.

[6]) Hinc videtur petenda esse solutio ἀπορίας quam movit mihi amicus collega Symons, fieri qui potuerit ut navigii cum equo comparatio, quae et in Graecorum et in Germanorum poesi semper vixerit, male aliquando intellecta illam quam novimus pareret fabulam. Si sumimus *in vaticinio* „equum ligneum (δουράτεον) Troiae excidio fore" praedicenti navem hostilem sub equi imagine primitus fuisse designatam, ille error quam facile potuerit nasci apparet.

nata, fuisse ducta, neque dissimilia tunc fuisse iis quae e posterorum poetarum carminibus novimus.

Per totam deinde antiquitatem celebratus est ille montis instar equus. Talem repraesentabat aes votivum in Athenarum arce collocatum, a Pausania autem commemoratum [1]), ex cuius latere Menestheus et Teucer et Thesidae foras prospiciebant. Talem pinxit Polygnotus in lescha Delphica [2]). Talem hodie quoque cernimus in pariete quodam aedium Pompeianarum et in tabula Iliaca *κατὰ Στησίχορον*. Sedulo autem seri poetarum epicorum nepotes verbis pinxerunt ingens illud opus. Ligna unde ducta, quomodo iuncta fuerint, molis praegravis qui motus fuerit, qui introitus et exitus, quae aëris meacula, qui ornatus, cuncta haec multaque alia quam accuratissime sunt descripta, dum in adultorum ludibrium convertitur quae ex ingenio prisci vatis afflatu divino instincti ante multa saecula emicuerat imago poetica. Sic deluvii fabula praebuit quod inter puerulorum nostrorum pupulas et crepundia suum sibi locum inveniret. Inter ligneum opus Epei et *ἁλὸσ ἵππον* eum quem vetustus poeta celebraverat ea fere intercedit ratio quae est inter „Noachi arcam" illam, qua omnes olim lusimus, et carmen venerabile *περὶ τῆσ τοῦ κόσμου Γενέσεωσ.*

At magna est vis veritatis. Nam quemadmodum in animalibus quae hodie vivunt aliqua semper deprehenditur proprietas, cuius causa et ratio latent quidem dum solum per se spectatur animal, clare vero elucent cum ipsa speciei et generis primordia investigantur, sic equus Troianus per longa saecula aliquid sibi servavit proprium, quo luculenter etiamnunc indicatur eius origo; et ne tum quidem, cum a Tryphiodoris comtus prodiit, infitianda sanequam parenti proles, spiraculis ungularumque rotulis oculisque beryllo fulgentibus ridicule exornatus, ne tum quidem proles est infitiata parentem. Nam *nomen* certe servavit intactum, nomina autem Graeca diserta esse solent. *Ligneus* saepe quidem dictus est ille equus et nunc quoque vocari solet, at ipsi Graeci nomine nonnihil diverso eum designabant: *ἵπποσ δουράτεοσ*, *δούρειοσ*, *δούριοσ* inter eos audiebat, *δόρυ* autem est *trabs*, *palus*, *vallus*, *hastile*,

---

[1]) Pausan. I 23 § 10.

[2]) Pausan. X 26.

vivens quoque arbor propter proceritatem insignis ita dici potuit [1], quemadmodum a nostratibus pinetum excelsum dici solet „silva malorum" [2]: non significat *tabulam* aut *lignum* in universum. Δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται, *putres iam sunt navium trabes lacerique rudentes*: sic loquuntur vates epici. Serus vero imitator, qui δουράτεον σκύφοσ commemoravit [3], adiectivum igitur δουράτεον in lingua poetarum idem quod δρύϊνον vel ξύλινον significasse ratus, clare ostendit parum se cognitam habuisse illam linguam, ipso τοῦ δουρατέου ἵππου nomine in errorem fortasse abreptus. Qui nihilo minus ridiculus est error quam fuit eorum qui κίσσινον σκύφοσ, *poculum hederaceum*, tribuerunt Cyclopi, inani scilicet sonorum similitudine eo adducti ut κισσύβιον sive *mulctram* illam ab Odysseae poeta commemoratam [4], cuius nominis latet origo, e *ligno hederae* confectam fuisse sibi persuaderent.

Homero vero δόρυ νήϊον est *trabs*, quae paratur a fabro navi aptanda [5]; Troiano igitur equo nomen est *trabali* vel *tignario* [6]. Quam vocem parum sane latinam eo consilio nunc adhibeo ut clare indicem quam insolitum ad ipsorum Graecorum aures nomen illud accedere debuerit. Parum persuadeo minusve perite nomen Graecum vertisse videor? Reputemus igitur quid ipsi designaverint Graeci. Quibus pro *proprio* equi Troiani *nomine* fuit illud δούρειοσ vel δούριοσ [7]), Euripides autem vocem δόρυ *hastam* interpretatus, eum igitur sensum ei tribuens qui solus inter ipsius aequales ei erat proprius, de nominis origine et significatione doctius quam prudentius aut venustius disputavit, cum equus Troianus ei dictus est

δούρειοσ ἵπποσ κρυπτὸν ἀμπισχὼν δόρυ [8]),

quasi *equus hastatus* vel *hastarius* [9]) vocari potuerit ab hastis insi-

---

[1]) *Palma* Delia ζ 167 sic vocatur. Quercum vero platanumve frondosam ut ea voce designarent, id poetis in mentem venire ne potuit quidem.

[2]) *Mastbosch*: quasi latine — immo barbare — dicas *maletum*.

[3]) Cf. Athen. 498 *f*. Eodem redit res ac si inter nostrates aliquis *een balken beker* diceret — poetico scilicet usus epitheto! — pro: *een houten beker*.

[4]) Cf. ι 346.

[5]) Cf. ο 410 sqq.

[6]) *Het balkenpaard*.

[7]) Cf. e. g. Aristoph. Av. 1128.

[8]) Cf. Eur. Troad. 14.

[9]) *Het speerenpaard*.

diatorum *in eius alvo latitantium.* Quae verba scenae tragicae dignitati parum congrua si in observationem grammaticam convertimus, dicunt „epicum nomen *δούρειον ἵππον* non significare id „quod vulgo credatur equum *ligneum*" [1]). Cui ex asse adstipulamur, Euripidem veram interpretandi viam quamvis obscure et quamvis importuno tempore indicasse gavisi.

Euripidis igitur aequales fugiebat quid poetae olim nomine *τοῦ δουρείου ἵππου* significassent. Nempe fabulas epicas oculis suspicacibus scrutari severaque exigere trutina, id non cadebat in illud aevum, quo impietatis esse videbatur fidem abrogare priscis vatibus musae interpretibus. Equum igitur illum, quem epica carmina celebrabant, non verum olim fuisse equum e tignis tabulisque ligneis in quadrupedem figuram compactum, ea tunc temporis ne nascebatur quidem suspicio. Simili tamen loquendi genere usa est pythia Delphica cum *ligneis moenibus* barbaros arceri iussit; et licet tunc quoque multi fuerint — in his ipsi *χρησμολόγοι* — qui non sentirent dei interpretem per imaginem esse locutum, Themistoclem certe *ἄριστον* illum *εἰκαστὴν* verus locutionis poeticae sensus non fugit.

Propius etiam ad *κοῖλον* illum *λόχον τοῦ ξεστοῦ ἵππου* accedunt verba vaticinii quo Siphnios a Polycrate cavere iussit pythia:

δεῖ πολυφράδμονος ἀνδρὸς
φράσσασθαι ξύλινόν τε λόχον κήρυκά τ' ἐρυθρόν,

navem *μιλτηλιφῆ* dicens [2]).

Non eandem autem sed tamen similem imaginem praebet somnium, quo Argonautae apud Apollonium Rhodium et quos ille sequitur Hesiodum Pindarum Antimachum iussi sunt navem suam per terram firmam ex Oceano in Tritonidem lacum fabulosum transportare: „matrem, quae per longos menses utero vos gessit, impositam iam humeris illuc deferte quo vocabit equus a Neptuno missus" [3]).

Et prorsus integra imago prisca compluribus saeculis post repe-

---

[1]) Suspicari igitur licet iam illo aevo, ut postea, vocem *δούρειον* in *γλώσσαις Ὁμηρικαῖς* fuisse tractatam; cf. Apollon. lex. s. v. *δόρυ*.

[2]) Herodot. III 57 sq.

[3]) Apollon. Rh. IV 1347 sqq.; cf. schol. ibidem vs. 259.

tita est a Plauto, vel potius a Diphilo, cuius verba Plautus refert, cum sacerdotem fecit naufragas duas verbis sublimioribus sic allocutam:

nempe equo ligneo per vias caeruleas
estis vectae [1]).

Et nonne etiam in verbis Bacchylidis, navem qua Theseus Cretam petivit *ὠκύπομπον δόρυ* vocantis [2]), echo quaedam percipitur priscae locutionis? Sed plura addere nolo, ne eos quoque locos creberrimos poetarum afferendo ubi *δόρυ*, *πεύκη*, *pinus*, *trabs* audit navis, nimia probare velle videar. Satis autem superque opinor iam apparuit, quam penitus veterum menti insita fuerit navis cum equo comparatio [3]). .

Ecce autem, quam longo annorum decursu confectam multorumque *ἀμούσων* protervitate lassatam hauserat somnus morti simillimus, laeta illa ad lucem aurasque vitales resurrexit priscae poeseos proles, cum ex veri poetae — ut Antaeus e terrae matris — contactu novas hausit vires. Poetam dico nostratem Vondelium. Cuius drama Gisbertus van Amstel quam presse vetusta exempla sequatur, dolus autem quo capitur Amstelodamum quam similis cum sit callido consilio militum qui Bredani praesidium fefellerunt, tum vero fraudi per quam expugnata est Troia, inter populares certe meos notiora sunt ea omnia quam quae fusius nunc exponantur. Quo autem nomine Vondelius vocavit hostium illam navem, quae Gisberti urbi perniciem intulit? *Equum marinum*, *het Zeepaard*!

En renata aevi vetusti imago *ἀρχαίωι σχήματι λαμπρά*! En δούρειοσ ἵπποσ in pristina iura restitutus et denuo factus qui fuerat olim:

---

[1]) Rudent. I 5, 10. — Inversa autem imagine usus Tryphiodorus neque sentiens quam vere diceret, equum Troianum assimulavit navi: „Epeus eius molem fecit tantam quanta esse solet *νηὸς ἀμφιελίσσης*" (vs. 63). Et Quintus equum versus arcem protractum esse dicit „ita ut navis deducitur in mare" (XII 425 sqq.). Cui dudum praeiverat Euripides, apud quem chorus Troadum dicit cives *ἵππον* illum *χρυσεοφάλαρον* rudentibus *ναὸς ὡσεὶ σκάφος κελαινόν* traxisse in arcem et fanum Palladis Athenae.

[2]) Bacchyl. XVII 90.

[3]) Etiam in Germanorum prisca poesi pervulgata olim fuit ea comparatio, nec non in dictione hodierna vestigia quaedam reliquit; dicitur enim navis *to ride at (his) anchor*, *het schip rydt op zyn ankers*, et — quam Stoettio viro doctissimo debeo observationem — locutio popularis *zooals hy* (*zy*) *reidt* (— *rydt*) *en zeilt* primitus de navigiis fuit dicta.

ἵππος ἁλός, *Neptuni equus hostem victorem afferens* [1]. Quid quod et Sinoni — *Vosmarium* dico speculatorem — suam facem, qua Vergilius quod faceret non habebat, reddidit Vondelius: ad arcem Amstelaedamensem incendendam ea utitur homo fraudulentus.

Alter adest iam Tiphys et altera quae vehit Argo
delectos heroas,

dicamus licet, poetae Romani verbis leviter mutatis usi. Equus Troianus est *Argo altera*, est *ἡ ἐν νάπαισι Πηλίου τμηθεῖσα πεύκη* [2], quae Argi Pelasgici incolas laudis opumque avidos vexit versus orientem illum, qui Iasonas olim Atridasque nihilo segnius allexit quam postea Agesilaos et Alexandros. Est navis heroem bellicosum per undas Neptunias vehens, quam circumsultant Nereides, ducit Tritonia *Γλαυκῶπις Ἀτρυτώνη*, proram autem tenet Achilles flava deae soboles. Solus [3] aut cum paucis sodalibus [4] eius pater Peleus olim expugnavit Iolcum: paucis comitantibus et ipse in bella et praelia ruit [5], mox saltu audaci oram longinquam occupaturus [6], ubi vita brevis eum manet, at gloria longa [7].

---

[1] Haec postquam scripta sunt, sensi eandem explicationem olim a Prellero esse prolatam; cf. etiam Baumeister Denkm. I 741: (equus ligneus) „ein naives Symbol für die Schiffe der Eroberer, da bekanntlich Homer selber oft genug die Schiffe als Meeresrosse bezeichnet."

[2] In transitu hic commemoranda est altera illa *Pelii arbor ad Troiae excidium fatalis*, quam Chiron deus montanus dono dedit Peleo. Hoc quoque fuit *δόρυ Πηλήϊον*. Quae notabilis profecto est analogia; in hac tamen disputatione vix ei locus est, nisi quis ausit suspicari, non *Peliadem hastam* sed *navis carinam* ex Chironis illo dono primitus fuisse confectam. Ego ad argumentationem stabiliendam meris coniecturis non utar.

[3] Pind. Nem. III 59, IV 54 sqq., Isthm. VIII (VII) 87.

[4] Iasone socio usus secundum Pherecydem in schol. Pind. Nem. III 59.

[5] Quinquaginta quae naves habere solebant capita (cf. p. 179, 3) fortasse indicantur in precibus, quibus Peleus fluvium patrium adiisse dicitur Ψ 147: „o Sperchie, incolumis si filius ad me e bello redierit, quinquaginta pecora tibi sacrificabo gratam testantia mentem".

[6] Ex antiquissimis fabulis superesse videtur fama *τοῦ τρωϊκοῦ πηδήματος*, ingentis saltus illius, quo ex navi littus petivit Achilles; cuius mentionem fecerunt Euripides (Androm. 1140) et Antimachus (schol. Lycophr. 246).

[7] Veri indicium etiam *Atheniensium pompa Panathenaica* — quae Vuertheimii est observatio — servare videtur reputantibus quae sequuntur. Finxerunt Achivi equum ligneum *Athenae* Iliacae — ob raptum palladium succensenti — donarium esse destinatum; cuius causae fallacis in Odyssea quidem, ubi equus ille non nisi in transitu et paucis verbis commemoratur, non fit mentio, dubium tamen non videtur quin et huius carminis poeta eam fabulae substructam acceperit; nam nisi eiusmodi quid fingebatur, non potuit cuiquam credibile videri ab ipsis Troianis illum equum in

Finem iam haberet haec disputatio, nisi superesset rogare, fabula ita mutata sitne insoliti quid et plane inauditi, an plura huiuscemodi labis in carminibus epicis deprehendantur vestigia. Ad quam quaestionem haud difficile est responsum, nam verendum est potius ne materie obruamur quam ne nimis rara sint quae ad rem faciant. Passim enim occurrunt imagines a priscis poetis inventae suoque loco adhibitae, a recentioribus autem non agnitae parumve intellectae.

Comitem equo marino extemplo licet adiungere *taurum*, quae species masculo vigore insignis olim tributa erat deo deae Pasiphaae marito. Dea postquam in reginam mortalem abiit et deus in taurum terrestrem, *ligneam vaccam*, condignam profecto aemulam equi ab Epeo concinnati, struxit Daedalus summus artifex, ut mulier beluae amore perfrui posset videlicet!

Immanes autem tauri illi, qui thesaurum orientalem ab Iasone petitum tutabantur, tauri illi, *χαλκόποδασ* [1]), *aeripedes* [2]) quos dixit Sophocles et diu post eum dixit Apollonius, prisco epitheto designans ungulas durum solum claro sono percutientes [3]), — quorsum tandem abierunt apud Antimachum! Mutati sunt in verum aes, in artis Vulcaniae opera, in Olympia quaedam *αὐτόματα* — et periit venustas priscae fabulae, quae heroem ostendebat cum feris beluis conflictantem.

Quamquam vera fabulae vis et Sophoclem latuit. Nam truces illi tauri Neptuni, quos perdomuit Iason, primitus neque animalia fuere quae quadrupedante sonitu terram quaterent, neque aerea signa ex officina caelesti oriunda, sed fluctus erant pelagi. Campos caeruleos arare, per *ὑγρὰ κέλευθα* sulcum ducere iussus est heros,

---

urbem esse receptum. In Athenae autem Iliacae delubrum etiam *peplus* ab ipsis urbis civibus pompa sollemni defertur noto loco Iliadis; denique cives illius urbis, quae Athenae una omnium fuit carissima ipsumque ei nomen dedit, quinto quoque anno in arcem, ubi deae erat delubrum, *peplum* deferre solebant *navi* vectam: — pro *navi* dicamus *equum*, quemadmodum equus pro navi dictus est in fabula de cuius origine disputamus, et habebimus *equum ligneum pompa sollemni in arcem urbis quae Athenae sacra fuit deductum.* Adde quod in arce Athenarum stetit equi Troiani effigies aerea.

[1]) Cf. schol. Pind. Pyth. IV 398.

[2]) Verg. Aen. VI 803.

[3]) *Equi* sic dicuntur Homero Θ 41 Ν 23; cf. *χαλκόκροτοι ἵπποι* epitheton cognatum Ar. Eq. 552.

ut in regione longinqua spe posset potiri. Non ager ἐρίβωλοσ sed maris aequora in prisca fabula ei dabantur colenda [1]).

En aliud eiusdem rei exemplum. Cursus rapidus caelitum nullis locorum spatiis tardatorum — nam dicto citius adsunt ubicunque et ut primum est lubitum — paucis sed vividis verbis a priscis poetis solet indicari. „Ceu falco" vel etiam „ceu stella caelo lapsa" ruunt quo placet. Inter recentiores vero fuere bene multi, qui huiusmodi comparationes ad litteram accipientes Olympios in falcones aliasve aves identidem mutatos esse fingerent. Neque inter auditores tantum vel lectores carminum epicorum vitium illud iudicii serpsit, sed luculenta quaedam eius documenta in ipsa carmina irrepserunt. *Αἰθυίκι ϝεϝικυῖα* undas subiit Leucothea dea marina, postquam Ulixi cum fluctibus colluctanti opem tulit: *ceu fulica mersa est atque abdita ponto.* Sic priscus vates. „*Αἰθυίκι δ' εἰκυῖα*" — ipsi versus numeri imitatorem produnt — ex undis emersit, *fulicae* nimirum *simulata figura*: haec verba initio narrationis inseruit *κέπφοσ* nescio quis, qui ambigua verborum *αἰθυίκι ϝεϝικυῖα* potestate in errorem abreptus putabat deam specie avis marinae induta oculis Ulixis se obtulisse, cum eo esse confabulatam, ricam suam — fulicae scilicet ricam! — ei dedisse [2]). Non senserat igitur homo ineptus quam venuste quamque vivide in vetusto carmine pingeretur maris incola subito sub undis evanescens ut mergus perterritus, — et invenit qui misellum versiculum ab ipso confictum foverent.

Simillimam sortem habuit imago vetusta, qua Iliadis poeta senes assimulavit cicadis [3]), senatorum orationem dulcem et continuam breviter cum cicadarum voce late resonanti sic comparans. Senem Tithonum in cicadam mutatum ostenderunt recentiores.

Tales autem imagines qui non agnoverunt, eorum fuit etiam navem in equum sublicium effingere. At nostrum est sentire quid distent aera lupinis et cavere ne longi aevi pulvere offuscetur priscarum fabularum splendor.

---

[1]) Sic et nos dicimus *de zee bouwen, de baren doorploegen,* similia.

[2]) Cf. ε 353 et 337.

[3]) Γ 151 sq.

XII.

DE ULIXIS AEDIBUS[1]).

Fabularum Homericarum tempora si quis dudum praeteriisse arbitratur, legat ille vitam Schliemanni, et nostram quoque aetatem miraculorum feracem esse videbit. Annon fidem superare dixeris quae narrantur de iuvene illo neque corpore neque re familiari neque ingenii cultu satis valenti, qui in mercatoris Amstelaedamensis taberna — *ἡμέτερος γὰρ κεῖνος* aliquantisper fuit *πολιήτης!* — longos per annos delituit, dein dives factus spretis vitae lenociniis in regiones longinquas parumque hospitales est profectus, virque eo pervenit quo tetenderat puer, ut Homeri patriam viseret Troiaeque detegeret rudera.

Cuius viri fides infracta quantos montes removerit, caeca illa spes quam multa detexerit quae acutissimos oculos latuissent, hominem antiquitatis minus peritum quam sagacem fecerit amor ille *ὃν φύξιμον οὐδέν*, quid attinet pluribus hic persequi; omnes enim iam suspiciunt et admirantur novae artis patrem. Qui postquam longorum saeculorum oblivia dispulit et e Graeciae Asiaeque solo quid disci posset stupentibus aequalibus ostendit, iuniores

---

[1]) De hoc argumento primum disserui anno 1898 in coetu philologorum nostratium Amstelaedami congregatorum (cf. Handelingen v. h. Eerste Nederlandsche Philologen-Congres, pag. 71—82), dein aliquanto fusius in Mnemosyne Iul. 1901. Quae hic repetitur commentatio, ex parte tamen mutata. Nam et ipse nonnullos Iliadis et Odysseae locos rectius interpretari interim didici et usus sum observationibus quibusdam Ferdinandi Noack (Homerische Paläste, 1903), quibus vir ille doctus supplevit nonnulla quae ego imperfecta et obscura reliqueram. De Noaci libro in Museo nostrate quaedam scripsi 1904 p. 292—294.

quique ad eiusmodi studia melius parati essent multi ad eius exemplum se accinxerunt; iamque vita heroum prisci temporis documentis e terra protractis abunde illustratur. De armis et vestibus, de vario vitae quotidianae instrumento et supellectile aliisque rebus sive maioris momenti sive minoris, plura sciri possunt hodie quam olim, et responsum iam est ad quaedam, quae si quis olim quaereret, risum potissimum inter viros doctos movebat.

Etiam de ipsis aedibus potentissimorum illorum regum, qui olim in Graeciae arcibus vixerunt, multa iam habemus comperta; carmina autem epica, Odysseam praesertim, cum evolvimus, licet minime obliviscamur non a teste oculato res gestas enarrari sed cum poeta libere fingenti nobis rem esse, fieri tamen non potest quin nostros in usus convertere cupiamus quae Troiae Mycenarum Tirynthis aliarum urbium vetustarum rudera effossa testentur de prisci aevi regiis. Nam cum Odysseae poeta dum Ithacae moramur in Ulixis domo, iuvenum protervorum nunc lustro; regem dum videmus squalido vestitu abditum suisque in aedibus hospitem; dum scelestis capitibus imminet pernicies tandemque poena ab iis sumitur tarditatem gravitate compensans, inter turbas autem quas ciet lascivia interque iratorum clamores dum Ulixis coniugem videmus versantem ceu almum genium loci, priscorum illorum heroum vitam aliquantisper et ipsi vivimus, a vate in musarum dominium abrepti; cum illis diligimus et odimus, speramus et reformidamus, laetamur et lugemus. Aedium quoque aulam spatiosam, celsum vestibulum, splendidas porticus, atrium late patens, pudicum reginae thalamum, firmos thesauros oculis lustrare manibusque contingere posse nobis videmur. Mox autem fert animus ad verum ea omnia delineare, iamque abundant chartae aedium Ulixis vel aedium Homericarum in universum exhibentes diagrammata.

At sua pericula afferunt fortunae dona insperata. Intentata prius dum tractamus, metuendum videtur potius ne nimis multa pro claris et certis et perviis iam habeantur, quam ne nimis cauti abstineamus a rebus nondum satis compertis. Metuendum videtur ne oculi subito fulgore praestricti nihilo clarius nunc distinguant quae longo aevo sunt dissita, quam olim in caligine dum mica-

bamus. Non enim omnia habet Archaeologiae illa ars, non omnia potest expedire. Ubi perventum est ad poetae locum ubi Nestoris poculum Ulixisve fibula vel comtus Andromachae commemoratur, laeti exsultamus si ostenduntur imagines simillimorum poculorum et fibularum mundusque muliebris ex sepulcris antiquis protractorum. Parietum ornamenta, tectorum caminorumque structura, ianuarum claustra, haec aliaque multa cuiusmodi olim fuerint grati discimus a claris novae artis antesignanis, et talia fere priscorum vatum menti obversata esse ea omnia intellegimus, qualia nostra aetate e terrae gremio resurrexerunt. Sed caveamus oportet ne gaudio splendidorum inventorum abrepti nimis facile nobis persuadeamus ope artis, quae veterum vitae optatissimam lucem afferat et ad multas minoris ambitus quaestiones dirimendas sufficiat, etiam intricatiores quosdam nodos solvi posse. Cavendum ne, quoniam pocula fibulasque tales reddidit terra quales pingebant veteres poetae, temere inde concludamus hos etiam aedes Ulixis vel Priami tales fere sibi finxisse qualis Tirynthis illa regia fuit, cuius rudera ad oculos iam patent.

Et Priami domum mittere nunc licet; quae non multis locis commemoratur et satis simplicem atque concinnam praebet imaginem. Sed de Ulixis aedibus quae habet Odyssea cum leviores nonnullas quaestiones movent aut movere videntur, tum unam quae haud exigui est momenti, ad spatiosissimum illud *atrium* pertinentem, nomine τοῦ μεγάρου designatum, quod aedium nucleum haud iniuria quis vocaverit. *Unumne* μέγαρον habuerunt aedes Ulixis an *duo*?

Lexicon Homericum cum adimus, in voce μεγάρῳ quadraginta fere locos invenimus laudatos, ubi „*virorum conclave*", dein triginta fere locos ubi „*mulierum domum aut solam aut potissimum*" significet, tum quadraginta sequuntur loci ubi „*aedes universas*" indicet, tandem observatur allatisque locis demonstratur vocem ducentis fere locis *in numero plurali* esse adhibitam ad *totas aedes* designandas, hac igitur in re similem latino huic aedium nomini et cognatae significationis vocibus δόμοισι, δώμασι, ϝοικίοισι.

De *feminarum* illa *domo* inter se consentiunt fere viri docti, certe quod ad summam rei adtinet; nam ambigitur tantum utrum conclavi virorum contiguum fuerit megaron feminarum, ita ut per

forem duplicem ex altero ad alterum fieret transitus, an a virorum megaro semotum et in aedium interioribus abditum.

Multi autem priorem opinionem sunt amplexi, ita igitur rem sibi mente informantes ut is qui per vestibulum aedes ingressus esset, per virorum conclave extemplo ad conclave mulierum pervenire posset, nisi forte occlusae essent valvae alterum ab altero separantes; *τὸν ἀνδρῶνα* igitur exceperit *ὁ γυναικών*, ut recentioris aevi hisce vocabulis utamur. Eam igitur dispositionem habuerit Ulixis regia, quae hodiernarum domuum esse solet. Nam et nunc sic construuntur aedes, ut bina — vel plura — inter se cohaereant conclavia; et in tua quoque domo, amice lector, conclavi vitae quotidianae usibus destinato contiguum opinor est alterum conclave, aliquanto maius fortasse magisque ornatum, quod amicis praesertim excipiendis solet inservire.

In bipartita igitur quam illi sibi fingunt domo ubinam degere solebat materfamilias? *Ἐν τῆι γυναικωνίτιδι*, opinor; itaque ibi quaerendus erit focus in quo parabantur cibi.

At alia omnia ex Homero novimus, et aut nihil constat aut id certe constat, focum, *τὴν ἑστίαν*, fuisse in conclavi virorum. Exemplo sit Odysseae versus, ubi Antinous ante virorum conclave cum ceteris procis adstans

γαστέρεσ αἵδ' αἰγῶν κέατ' ἐν πυρί, τὰσ ἐπὶ δόρπωι κατθέμεθα

ait [1]), conclave illud et omasa in igne illic crepitantia manu indicans Penetralia autem aedium si et alterum focum, fortasse plures habuerint, ubi famuli cibos sibi pararent, nihil aut istos focos aut ipsa mancipia moramur, non enim poeta est moratus. Hic matrem familias ostendit in virorum conclavi, *ἐν τῶι μεγάρωι*, assidentem *τῆι ἑστίαι*.

Qua in re cum Iliadis tum Odysseae poeta prorsus sibi constitit. Primum Alcinoi regiam adeamus, ubi in celso megaro varioque pretiosissimorum metallorum ornatu refulgenti regina Arete sedet iuxta focum spatiosum, cuius caminus columnis est suffultus [2]),

---

[1]) *σ* 44 sq.

[2]) Etiam regiae Tirynthiae megaron medium tenuit focus quatuor columnis circumdatus.

lanificio cum feminis suis operam dans. Totidem verbis eius filia id dixit Ulixi [1]):

ὅτε κέν σε δόμοι κεκύθωσι καὶ αὐλή,
ὦκα μάλα μεγάροιο διελθέμεν', ὄφρα χ' ἵκηαι
μητέρ' ἐμήν. ἣ δ' ἧσται ἐπ' ἐσχάρηι ἐν πυρὸσ αὐγῆι,
ἠλάκατα στροφάουσ' ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ϝιδέσθαι,
κίονι κεκλιμένη· δμωιαὶ δέ ϝοι ἥατ' ὄπισθε.
ἔνθα δὲ πατρὸσ ἐμοῖο θρόνοσ ποτικέκλιται αὐτῆι,

— sed plura excribere inutile videtur. Illic igitur reginam invenit Ulixes, cum urbem ipsasque aedes regias clam civibus intravit, cava nube protectus, quam circumdederat Minerva. Illic eius genua supplex adiit; illic cenae mox vespertinae est adhibitus [2]).

In beata autem Scheria si megaron illud splendidum, ubi rex solebat degere et cum principibus suis versari, etiam reginae eiusque ancillis locum praebebat, ne Ithacensium quidem regem uxorem ex suo conspectu in mulierum aliquod conclave pepulisse satis videretur certum — si ea de re coniectura esset facienda. At nihil opus. Nam *telam Penelopes* meminimus, Polyphemi ariete Aeolique utre nihilo minus olim claram et nobis quoque inde a prima pueritia notissimam. Procos ut falleret, laborem infinitum suscepit Penelope. Ubi? In virorum nimirum conclavi, ubi cum iuvenibus eius manum petentibus solebat colloqui. Ibi igitur proci regiam identidem visentes eam viderunt operi intentam, ut vestem, quam in funus Laërtae parare se perhibebat, ad finem deduceret; noctis autem silentio resolvebat quae per singulos dies confecisset. Cur noctu? Quia tum demum non verendum ei erat ne a visitoribus deprehenderetur. Sic iuvenes per triennium decepit, tum fraus indicio ancillae est detecta: nocte igitur intempesta proci in regiam ipsumque megaron reversi, quod paucis horis ante reliquerant, illic invenerunt reginam telam suam retexentem. Penelopes illam telam in aedium interiora transporta — et lepida fabula abit in meras nugas. Quae sitne originis caelestis, ita ut olim lunam cornua reparantem stellisque stipatam indicaverit, an interpretum hic sit error quo magis ingeniosus eo magis fallax, id nunc ad rem nihil facit; ego autem et ipse sagaci illa mythi

[1]) ζ 304 sqq. [2]) η 141 sqq.

vetusti explicatione captus teneor. Sed lunam ut olim significaverit fida Ulixis coniux et stellas proci, in Odyssea certe sunt veri mortales; veram telam texuit retexuitque regina, illo autem aedium loco opus suum peregit ubi ferebat ratio, loco quem designatum sibi habebat mater familias, loco quem et olim tenuerat dum aderat maritus, et tunc iure suo tenebat.

Post ea quae diximus dubium esse nequit quin in virorum conclavi sive megaro Helenam texentem invenerit Iris, cum Laodicae specie induta eam adiit ut ad moenia eam abduceret; et totidem verbis id dixit poeta:

τὴν δ' ηὗρ' ἐν μεγάρῳ· ἣ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε [1]).

Nec minus certum est ubi fuerit Andromache cum civium Hectoris necem lugentium ad eam penetrarunt clamores [2]):

ἣ γ' ἱστὸν ὕφαινε μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο,
'κέκλετο δ' ἀμφιπόλοισιν ἐϋπλοκάμοισ' ἀνὰ δῶμα
ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι τρίποδα μέγαν, ὄφρα πέλοιτο
Ἕκτορι θερμὰ λόετρα μάχησ ἐκ νοστήσαντι.

Habemus matronam cum tela et ancillis, habemus ignem foci: etiamne megari fit mentio? Fit. Nam postquam tristi nuntio accepto regina semianimis est collapsa rursusque ad se rediit,

μεγάροιο διέσσυτο μαινάδι ϝίση [3]).

E virorum conclavi, in quo telae vacaverat, per prodomum in plateam proruit.

Neque est cur aliter interpretemur haec Hectoris verba:

πῆι ἔβη Ἀνδρομάχη λευκώλενοσ ἐκ μεγάροιο; [4])

Haec enim ἐπ' οὐδὸν ἰών Hector rogat: in limine consistens megaron inspicit vacuum, dein ancillas illic sine domina versantes rogat quo abierit uxor.

Hecuba autem cum ad maritum dicit: *lugeamus Hectorem*

ἥμενοι ἐν μεγάρῳ [5]),

non in aedium penetralia abdere se vult, sed palam in magno regiae conclavi coram frequentissimo famulorum civiumque coetu parentalia ferre filio dilecto.

Et Ulixes cum de Elpenore dicit:

---

[1]) Γ 125. [2]) Χ 440 sqq. [3]) Ibid. vs. 460.
[4]) Ζ 377. [5]) Ω 209.

σῶμα γὰρ ἐν Κίρκησ μεγάρωι κατελείπομεν ἧμεσ [1]),

verum Circes megaron, ubi hospites ab ea laute sunt accepti, quominus intellegamus nihil obstat.

Ipsa vero Elpenoris umbra cum fatum suum his verbis refert:

ἄασε δαίμονοσ αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατοσ ὕπνοσ·
Κίρκησ δ' ἐν μεγάρωι καταλέγμενοσ οὐκ ἐνόησα
ἄψορρον καταβήμεν' ἰὼν εἰσ κλίμακα μακρήν,
ἀλλὰ κατ' ἀντικρὺ τέγεοσ 'πέσον [2]),

vox *μέγαρον* intellegi nequit nisi aut *totas aedes* aut cubiculum aliquod in parte superiore eam interpretemur; sed tam obscure haec sunt enarrata ut vitio aliquo laborare appareat. Nam *ψύχεοσ ἱμείρων* qui *κατελέξατο ϝοινοβαρείων* [3]), is mirum nisi *sub divo*, *ἐπὶ τοῦ τέγουσ*, obdormivit; itaque Elpenoris verba faciliora aliquanto essent intellectu, si diceret:

„*Κίρκησ δ' ἐν τέγεϊ καταλέγμενοσ*

imprudens sum delapsus".

Neque poetarum loci, ubi *pueri ἐν μεγάρωι* apud matrem eiusque famulas educati esse dicuntur, cogunt nos *feminarum* aliquod megaron nobis fingere. Immo in contrariam partem nos ducunt quae Odysseae initio narrantur. Ubi invenimus Telemachum illo ipso die, quo in nostram notitiam primum venit, pueritiam exuentem, a Mente sive Minerva commonitum: puer autem ille assidet cenae communi in virorum conclavi, neque ullum adest indicium unde efficiamus eum antehac fuisse solitum in alio conclavi cenare et reliquum diem transigere, vel potius brevem eam diei partem qua non sub dio versaretur.

Phoenicem autem hospitem regis Pelei, qui eum

ἀφνειὸν ἔθηκε, πολὺν δέ ϝοι ὤπασε λαόν,

ecquis credit e virorum conclavi inter ancillas esse relegatum, ut ibi carnibus et vino satiaret Achillem puerulum, *ἐν νηπιίηι ἀλεγεινῆι* tunicam sibi commaculantem? Bona verba! Et ne dubium quidem id reliquit poeta, qui haec dicentem fecit Phoenicem: „o Achilles, nolebas olim *εἰσ δαῖτ' ἴμεναι* nisi me comite." Adultorum epulis puer adesse nolebat nisi in Phoenicis genubus collocatus [4]).

---

1) *λ* 53. 2) Ibid. vs. 61 sqq. 3) *κ* 555.
4) *I* 483—491.

Neque Hercules — ut fabulam posthomericam addamus [1]) — Aiacem puerulum e feminarum aliquo conclavi protraxit ut leonis Nemeaei pelle eum circumdaret, sed Telamonem eius patrem offendit

δαινύμενον παρὰ ϝῆι τ' ἀλόχωι καὶ ϝοῖσι τέκεσσι [2]),

a quo cenae adhibitus puerum cum parentibus assidentem fulvis exuviis texit.

Quae cum ita sint, estne causa cur aliter iudicemus de locis qui sequuntur:

Τληπόλεμοσ δ' ἐπεὶ οὖν 'τράφ' ἐνὶ μεγάρωι εὖ πηκτῶι [3]),

et: τηλύγετοσ δέ ϝοι υἱὸσ ἐνὶ μεγάρωι εὖ πηκτῶι
ὀψίγονοσ τρέφεται [4])?

Quidni etiam Tlepolemus et Demophoon nutriti fuerint in conclavi ubi cenabant parentes?

Ulixes autem cum filium se fingit ἀνέροσ ἀφνειοῖο, cui etiam multi alii

υἷεσ ἐνὶ μεγάρωι ἠμὲν 'τράφον ἠδ' ἐγένοντο [5]),

quid obstat quominus *megaron virorum* — vel potius totius familiae — interpretemur illud conclave?

Et mercator Phoenicius, qui domum patris Eumaei olim intravit χρύσεον ὅρμον ἔχων, quem deinde ἐν μεγάρωι δμωιαὶ καὶ πότνια μήτηρ sunt admiratae, in abditamne aliquam aedium partem penetravit? Minime, sed matronam adiit solito loco prope focum ἐν τῶι μεγάρωι sedentem, ut pretiosum monile ei offerret emendum [6]).

Neque *filiarum* ex ea aedium parte arcendarum, ubi ipsa mater familias locum suum habebat, causa ulla esse potuit. An putamus eas iuvenibus balneantibus innocenter operam praestare potuisse, non potuisse pudice sub matris oculis inter eos versari? Non tam anxie aevo heroico secludebantur puellae. Itaque certa stat sententia de locis ubi filiarum ἐν μεγάρωι educatarum vel relictarum fit mentio: non ignotum aliquod conclave in aedium penetralibus latitans sed illa ipsa quam novimus aedium pars primaria significatur locis quos indicaturi sumus:

---

[1]) E Pindaro.
[2]) Ut Alcinoi de Ulixe verbis (ϑ 243) nunc utamur.
[3]) *B* 661. [4]) H. Cer. 164. [5]) ξ 201. [6]) *o* 459 sqq.

Agamemnonis sunt verba:

τρεῖσ δέ μοί εἰσι ϑύγατρεσ ἐνὶ μεγάρωι ἐΰ πηκτῶι [1]).

De Hippodamia Anchisae filia dicitur:

τὴν περὶ κῆρ' ἐφίλησε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
ἐν μεγάρωι [2]),

ubi *patris* mentio ne dubitare quidem quemquam sinit.

Rexenorem Phaeacum principem immatura mors abripuit

ἐν μεγάρωι μίαν οἴην παῖδα λιπόντα [3]),

„elatus est e conclavi suo adolescens, neque filios ibi reliquit qui ipsius nomen ad posteros propagarent, sed filiam unicam." Qui versus quam ieiunus fiat si μέγαρον aliquod solis mulieribus et puerulis destinatum cogitemus, quid attinet pluribus verbis demonstrare?

Itaque facile intellegitur quid sit statuendum de hisce verbis Veneris mortalem puellam se mentitae:

Τρωὰσ μεγάρωι με τροφὸσ 'τρέφεν [4]),

et tuta hac certe a parte est coniectura eorum, qui in Agamemnonis verbis

ἡμέτεραί τ' ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα
ἥατ' ἐνὶ μεγάροισ ποτιδέγμεναι [5]),

recentioris aevi dativo μεγάροισ substituerunt singularem μεγάρωι. Idem autem valet de locis quos subiuncturi sumus:

πέντε δέ τοι φίλοι υἷεσ ἐνὶ μεγάρωι γεγάασι [6]).
ξεῖνον ἐνὶ μεγάρωι ξεινίσσομεν [7]).
δεῖπνον ἐνὶ μεγάρωι τετυκεῖν [8]).
οἷα μενοινᾶισ
ϝερδέμεν' ἐν μεγάρωι [9]).
ἔκειρον
κτήματ' ἐνὶ μεγάρωι [10]).
γυναῖκασ ἐνὶ μεγάρωι κατάλεξον [11]).

His quoque locis pluralis numerus μεγάροισ extat in codicibus, singularem autem et fert contextus et flagitat ars grammatica [12]).

---

[1]) *I* 144; item vs. 286. [2]) *N* 430 sq. [3]) *η* 65. [4]) H. Vener. 114.
[5]) *B* 136 sq. [6]) *ζ* 62. [7]) *η* 190. [8]) *ο* 77 et 94.
[9]) *χ* 217 sq. [10]) *χ* 369 sq. [11]) *χ* 417.
[12]) Cf. etiam *ξ* 326 (p. 200, 8) et *ο* 231. Sed *π* 33 et *ρ* 391 ferenda est forma novicia μεγάροισ.

Neque ambiguus iam videtur locus Odysseae, ubi Penelope iubetur ἄψ ἴμεναι εἰσ μέγαρον πατρόσ [1]): matrona illuc redeat — Mentes ait — ubi olim degit puella.

Itaque, ut et nos illuc unde profecti sumus redeamus, in magno conclavi, ubi heroes et ceteram vitam cum suis transigunt et cenant, suus locus prope focum est matri familias eiusque ancillis, suus est locus filiis et filiabus; hoc conclave μέγαρον habuit nomen proprium, neque alterum aliquod μέγαρον poetae epici cognitum habuerunt: *feminarum megaron nullum fuit* [2]).

In Ulixis tamen aedibus mutata est solita vitae ratio. Nam proci ex quo detexerunt callidam fraudem, qua Penelope eos per triennium detinuit [3]), quotidie in regiam confluxerunt et per totum diem impudentissime ibi se gesserunt, opes regis absentis largis epulis consumentes. In illo igitur conclavi, ubi iuvenum petulantium quotidie bacchatur caterva, etiam commorari noluit regina, marito qui ab intempestivis iocis se defenderet destituta, sed aufugit in aedium superiora, εἰσ τὸ ὑπερῷϊον. Relicto μεγάρωι, quod cuiuslibet protervitati patebat, petivit θάλαμον, — non illum thalamum, quem in firmo solo olim sibi et Penelopae aedificavit Ulixes, illic enim torus genialis absentem herum opperitur vacuus, sed aliud quoddam cubiculum. Claustris ibi forium bene firmarum protecta lentos transigit dies inter famulas, ἑϝὸν κλαίουσα πόσιν, nec nisi mane, ante procorum adventum quotidianum [4]), aut sera vespera, postquam illi in suas singuli aedes redierunt [5]), ad pristinam sedem prope focum in megaro collocatam redit. Semel etiam et iterum ad procos descendit, ut cum iis per breve tempus loqueretur. Cui si in aedium interioribus suum fuisset μέγαρον, cur confugisset in tabulata?

Intellegi igitur non possunt quae in Odyssea narrantur, si sumitur id quod assolet, in Ulixis aedibus aliud conclave virorum, aliud mulierum vitae quotidianae fuisse destinatum; immo lucu-

---

1) α 276; cf. π 390.

2) Locos Homericos, ubi is qui Lexici Homerici hanc partem confecit illud „feminarum megaron" quod nullum fuit agnoscere sibi visus est, cunctos iam lustravimus.

3) Cf. pag. 191. 4) Cf. ϱ 96—106. 5) Cf. τ 51 sqq., 533.

lenter patet priscam fabulam ipsamque aevi heroici vitam unum tantum eiusmodi conclave cognitum habuisse proprioque *μεγάρου* nomine designasse [1]). Unum megaron idque spatiosissimum habebant regum aedes splendidae: megaron suum quantumvis artum habebant et pauperum tabernae, habebat Eumaei tugurium [2]), habebat Achillis tabernaculum [3]). Quippe *habitatur* et *cenatur* etiam in re tenui et in aedicula simplicissima. Megari autem nomine aliae aedium partes indicari non poterant, quemadmodum in aedibus Britannorum — ut hoc utamur exemplo — aliud conclave dicitur *the hall*, aliud nomen habet *the drawing-room*, et ridiculus foret qui utravis voce locum utrumque designari posse contenderet.

Habitabatur et cenabatur in megaro: etiam ibi *dormiebatur*. Lectus patris matrisque familias stabat in megari parte postica, *ἐν μυχῶι δόμου* [4]). Ibi Alcinous e. g. dormiebat cum Arete [5]). Et hanc ob causam mos ferebat ut hospitibus non in megaro — quod fortasse expectaverit quispiam — strueretur cubile, sed sub porticu [6]).

Ulixis vero in aedibus tunc, cum acciderunt quae in Odyssea narrantur, paullo aliter res se habuit. Qui cum uxorem duxit patre Laërta et matre Anticlea etiam viventibus, more ea aetate solito [7]) proprium sibi et Penelopae struxit thalamum in aedibus paternis. Postea vero, cum peregre abiisset ipse, mortua esset Anticlea, Laërtes rus migrasset, hic thalamus stetit vacuus; Laërtae autem lectus utrum in megaro tum remanserit item inutilis, an inde remotus fuerit, poeta non dixit, rem quae nullius esset momenti commemorare operae pretium non ducens: nobis abest ille lectus, quoniam poeta nullam eius fecit mentionem [8]).

Unum *μέγαρον*, denuo id dicimus, etiam Ulixis habuerunt aedes. Praeterea in domus recessu ab ipso Ulixe structus est thalamus sive *cubiculum*, qui torum habebat e trunco olivae trisaecularis

---

[1]) Vocis *μεγάρου* origo latet. Graecam esse, quod multi perhibuerunt, ab adiectivo *μεγάλωι* eam repetentes, credibile non videtur.

[2]) π 165. [3]) Ω 647.

[4]) γ 402 al.; cf. *I* 663 Ω 675 (ι 226). Sic Romani in *atrio*, quod megari epici fuit instar, torum genialem habuerunt collocatum.

[5]) η 374. [6]) Cf. Ω 643—650 γ 399 al. [7]) Cf. cap. II, pag. 71, 3.

[8]) Solus videlicet *Ulixis lectus* ille, de quo poeta tam mira narravit, et erat mentione dignus. Et in simpliciore nostroque poeta vetustiore fabulae forma, a qua quin Laërtes afuerit dubitari vix potest (cf. α 188—193), non nisi unius Ulixis lectus commemorari potuit.

elaboratum ipsisque arboris radicibus solo iunctum [1]). Commemoratur etiam *cella* quaedam ὑψόροφοσ, item θάλαμοσ dicta, — non enim *cubiculum* haec vox significat, sed quodvis conclave, quod ita *claudi* possit ut nullus ad id sit aditus, ita vocatur, — ad quam per gradus aliquot descenditur; ibi seclusae iacent regis opes et arma et vinum et vestes pretiosae [2]). Superior autem aedium pars habet *cubicula* aliquot [3]); ibi dormiunt caelibes, quibus iam se annumerat Penelope. In ipsa aula Telemacho aliud structum est cubiculum [4]), ut generis Priami [5]) et Phoenici [6]). Totam denique domum et aulam ante eam patentem firmus cingit murus, per cuius ostium etiam curribus est aditus.

Famulis vero sua alicubi fuisse cubicula [7]), neque defuisse lavatrinam quaeque praeterea ad vitam quotidianam sunt necessaria, per se intellegit qui ad eiusmodi nugas animum advertit, sed eorum descriptionem minime desideramus, neque in carmine, quod poeta non architectis cecinerit, talia neglecta esse aut miramur aut dolemus [8]). Ea autem per diagrammata designare velle quae ne ipse quidem vates ante mentis oculos habuerit, id molestae foret ἀδολεσχίασ. Itaque nescire nos quomodo e megaro ad Ulixis cubiculum vel ad cellam perventum esse poeta sumserit, scalae quot gradus, circuitioni quos ductus tribuerit, et palam profitemur et earum rerum ignorationem detrimento nobis haudquaquam ducimus. Omnia denique, quae Homeri lectorem mente perpetuo cernere expedit, habet Iliadis versus, ubi regia, quam Paridi aedificarunt structores Phoenicii, tribus verbis sic indicatur: θάλαμοσ καὶ δῶμα καὶ αὐλή [9]), locus ubi *opes* asservantur, locus

---

[1]) De notissimo hoc loco (ψ 184 sqq.) egi cap. II, pag. 71 sqq.

[2]) β 337 sqq.; quo loco et similibus verbum καταβαίνειν non *descendere* sed aliud quid significare multi perperam perhibuerunt. De hac cella cf. cap. II, pag. 79 sq.

[3]) Cubicula illa τοῦ ὑπερώιου cum e recentiorum Graecorum vita bene novimus tum ex ipso Homero: *B* 514. Ab amatorum nimirum audacia tutandus erat virginum somnus. Quamquam a caelitibus ne ibi quidem tutae erant: Mercurius ibi visit Polymelam, *Π* 184.

[4]) Cf. α 425 sq.

[5]) Cf. *Z* 247—250.

[6]) Huic in *prodomo*, quae res eodem fere redit: *I* 473.

[7]) Quorum nulla fit mentio, nisi ψ 41 ita est interpretandus; cf. pag. 204, 2.

[8]) Uno loco χ 137 et certam ob causam fit mentio τῆσ λαύρησ huiusque *ostioli* in *angiportum* ducentis; quem locum neglegere nunc licet.

[9]) *Z* 316.

ubi *vivitur* [1]), locus *subdialis* ad varios vitae usus patens. Ceterae aedium partes veluti nebula circumfusa incertas fluxasque oculis praebent figuras aut omnino latitant.

Aliter tamen visum est recentioris aetatis hominibus. Telamne obiisse reginas lanamque cum ancillis duxisse in eodem conclavi ubi rex nobilissimum quemque excipere soleret? Aevo illo heroico a mundi natalibus prope distanti, quo viri robustiores et fortiores essent quam postea, feminae dignae essent quae a caelitibus amarentur, Helenis Hecubisque aedes auro gemmisque resplendentes ne id quidem praebuisse quod postea vel pauperrimae cuique matri familias in Asiae Graeciaeve aliquo angulo habitanti praesto esset? Quo tempore inter eos quoque, quibus tenuis erat res familiaris, erant qui domo duplici uterentur, cuius conclavia duo inferiora τὴν ἀνδρωνῖτιν. superiora τὴν γυναικωνῖτιν efficerent [2]), credibile non videbatur Andromachen vel Penelopen cibis parandis vacasse ceterisque operibus muliebribus praefuisse in eodem conclavi ubi cum principibus deliberaret coniux, mox in cenam eos vocaturus. Tunc igitur nata est opinio, quae recentioris aevi moribus multo magis erat consentanea, matronas Homericas cum liberis suis et famulis in aedium aliquo recessu latitantes procul a viris vitam transegisse. Itaque sicubi prisca carmina matrem familias ostendebant ἐν τῶι μεγάρωι officia vitae quotidianae obeuntem, ἐν τῆι γυναικωνίτιδι eam versari putabant cantores recentiores et homines quibus illi canebant, et sic sponte sua eo deducebantur ut voce μεγάρωι *conclave* in universum significatum esse arbitrarentur, non certi cuiusdam conclavis id fuisse nomen proprium, quemadmodum δόρπον quamlibet *cenam* significasse putarunt, non cenae vespertinae proprium fuisse nomen [3]). Exinde igitur in hominum mente vixit γυναικῶν μέγαρον nescio quod a conclavi virorum diversum, idque etiam hodie in aedium Homericarum diagrammatis solet indicari.

Cuius erroris et in ipsa Odyssea haud rara esse vestigia olim putavi; et nonnullorum sane locorum textus huiusmodi vitiis

[1]) Coll. χ 494 apparet *δῶμα* nunc non solum *megaron* significare, sed in locutione *θάλαμος καὶ δῶμα*, ut illic in verbis *μέγαρον καὶ δῶμα*, prius *partem aedium* commemorari, dein *totas aedes* eam quoque partem complexas. Cf. pag. 203.

[2]) Cf. Lys. or. I. [3]) Cf. cap. I, p. 42 sq.

laborat, de compluribus tamen aliter iam sentio. Singulos locos huc facientes afferemus. Telemacho valedicens Helena *δῶρόν τοι* ait

καὶ ἐγώ, τέκνον φίλε, τοῦτο δίδωμι,
μνῆμ' Ἑλένησ χειρῶν, πολυηράτου εἰσ γάμου ὥρην
σῆι ἀλόχωι φορέειν· τῆοσ δὲ φίλῃ [1]) *παρὰ μητρὶ*
κείσθω ἐνὶ μεγάρωι [2]),

quo loco non *megari* sed *θαλάμου* sive *cellae subterraneae*, in qua et ceterae opes et vestes pretiosae asservari solebant [3]), mentionem expectaverit quispiam; neque magnae audaciae fuerit rescribere *ἐν θαλάμωι κείσθω* vel *κείσεται ἐν θαλάμωι*, nam facile a cantoribus et librariis hae voces potuerunt permutari, et revera interdum permutatas esse etiam hodierni codices testantur [4]). Sed aliter hic locus videtur esse expediendus. Nam praeter vestes pretiosiores, quae propter artem singularem a matronis in cella seponebantur, non nisi raro usurpandae, in arca megari et aliae asservabantur, quae usus essent quotidiani. Itaque noto loco Iliadis Hecuba iubetur

πέπλον, ὅ ϝοι δοκέει χαριέστατοσ ἠδὲ μέγιστοσ
ἔμμεν' ἐνὶ μεγάρωι [5])

in Minervae fanum ferre. Quae tamen descendit in *thesaurum*, ut etiam pulcriorem inde promeret vestem [6]). Odysseae autem quem indicavimus loco Helena, ne donum hospiti oblatum rusticius laudare videatur si gazae reconditioris faciat mentionem, „matri" ait „hanc vestem trades cum ceteris in megaro asservandam [7]); postea vero, cum proprium thalamum in aedibus paternis cum coniuge tua habitabis, ibi haec asservabit."

Quod autem tribus Odysseae locis [8]) opes *alienae* quamvis pre-

---

[1]) *δὲ φίλῃι* propter numeros suspecta: fortasse olim *δ' ἔνδον* fuit.

[2]) ο 125 sqq.

[3]) Cf. Ζ 288 sq. Ω 191 sq. + 228 sqq. ο 99—108 ϑ 439.

[4]) Cf. e. g. l. a. ψ 178.

[5]) Ζ 90 sq. = 271 sq.

[6]) Non propono igitur, quae nemini non in mentem venit, coniecturam *ἔμμεναι ἐν θαλάμωι* pro *ἔμμεν' ἐνὶ μεγάρωι* locis laudatis.

[7]) Scriptor nostras diceret: „laat uw moeder het voor u in haar kabinet" (non: „in de brandkluis") „bergen".

[8]) ϑ 424 et ξ 326 = τ 295:

ὅσσα ϝοι ἐν μεγάρωι κειμήλια 'κεῖτο ϝάνακτοσ.

Loco secundo, ubi in plerisque codicibus est pluralis *ἐν μεγάροισ*, *in aedibus*, quem tertio habent omnes, optimus testis G exhibet singularem, quem poscit ars grammatica (cf. pag. 195, 12).

tiosae aliquantisper in megaro collocatae fuisse dicuntur, non in gazam delatae, id non est quod nos detineat.

Venimus ad locum ubi Medon praeco κατ' οὐδοῦ βὰσ [1]) adit Penelopen ἐν θαλάμωι quamcunque ob causam versantem [2]), mox more solito repetituram suum ὑπερώϊον, ubi procul a procis in megaro tumultuantibus [3]) pro filii absentis salute vota faciat [4]). Illic igitur de *cella* sive *thesauro* est sermo, in quo et Euryclea adest anus, quae illud conclave sibi habet concreditum [5]). At mox Euryclea reginae oblocutura νύμφα φίλη, ait,

σὺ μὲν ἄρ με κατάκτανε νηλέϊ χαλκῶι,
ἢ ἔα' ἐν μεγάρωι· μῦθον δέ τοι οὐκ ἐπικεύσω [6]).

Hic ἐν θαλάμωι expectatur sane. Si quis tamen tueri velit lectionem traditam, vertat: *sine me officiis quotidianis* [7]) *in megaro nunc vacare.* Sed durior est haec interpretandi ratio.

Difficilior est etiam locus qui sequitur. Penelope more suo sedet in cubiculo (ἐν τῶι θαλάμωι τοῦ ὑπερώιου), ubi somnus divinitus missus eam mox est oppressurus, Eurynomen autem iubet ad se vocare ancillas,

γρηῢσ δὲ δι' ἐκ μεγάροι' ἐβεβήκει
ἀγγελέουσα γυναιξὶ καὶ ὀτρυνέουσα νέεσθαι [8]).

Brevius haec sunt dicta pro: *anus descensis scalis, quibus in megaron perveniebatur, per ipsum megaron adiit aedium interiora, ubi iuberet ancillas ad dominam in cubiculum redire.* Nisi ἐκ θαλάμοι' legendum.

Nam sic aedes erant constructae. Λάϊνοσ sane οὐδόσ, cuius bis fit mentio [9]), si idem limen utrobique esset intellegendus, sumenda esset Penelope vel Euryclea cum scalas descendisset in *prodomum* pervenisse, unde per megari ostium erat aditus ad ipsum megaron. Si vero sumimus poetam non solum huic ostio sed et *posticae* megari fori [10]) limen lapideum tribuisse, — neque obstat quicquam quominus sumamus, — sequitur ut statuamus aditum ad scalas et hinc ad Penelopes cubiculum non nisi per megaron patuisse. Nec dubium quin recte sic statuamus. Nam

[1]) δ 680. [2]) Cf. vs. 742. [3]) Vs. 674, 768. [4]) Vs. 751, 760.
[5]) Cf. β 337 sqq. [6]) Vs 743 sq. [7]) Cf. α 139. [8]) σ 185 sq.
[9]) π 41 et ψ 85.
[10]) Cuius mentio fit φ 236, 382, 387 χ 394, 399 ψ 42 sq.

prudentis profecto erat consilii, aedes ita struere ut ad ὑπερῷιον, ubi virginum erant cubicula, non nisi per megaron, ubi dormiebant parentes [1]), perveniri posset; sic enim puellae a praedonum vel amantum audacia optime protegebantur. Et facile sic intellegitur quomodo Penelope in illo cubiculo sedens voces in megaro canentium [2]) vel loquentium [3]) potuerit audire. Megaron igitur cum intrat Penelope, non dorsum nobis, qui mentis oculis cernimus procos illic epulantes, advertit, sed faciem pudice velatam.

Ea ratione, quam modo indicavimus, etiam quae l. l. sequuntur sunt interpretanda. Nam vocatae ancillae

ἦλθον . . . . ἐκ μεγάροιο,
φθόγγωι ἐπερχόμεναι [4]),

per megaron, dein scalis conscensis, ad Penelopen venerunt ancillae Autonoë et Hippodamia; quarum voce postquam expergefacta est regina, καταβαίνει ὑπερώϊα σιγαλόεντα [5]).

Idem mox redit versus, sed illic non potest intellegi. Nam Penelopae in megaro cum mendico colloquenti molestae fiunt ancillae illuc irruentes ἐκ μεγάροιο [6]). Requiritur potius ἂψ μέγαρόνδε vel eiusmodi quid. E megaro vespera ingruente abierant. Reginam adire tunc eas iusserat ipse mendicus his verbis: *e megaro facessite ad dominam*, quae autem illic sequuntur verba

τέρπετε δ' αὐτὴν
ἥμεναι ἐν μεγάρωι, ἠ' εἴρια πείκετε χερσί [7])

manifesto vitio laborant. Aut enim legendum est ἐν θαλάμωι, — illic enim Penelope more suo nunc degit, — aut etiam gravius quid ille locus est perpessus.

Postero die Ulixes cum in megaro procis supplicium parat, mulieres per Eumaeum iubet clausis τοῦ μεγάρου foribus intus manere in aedium penetralibus:

κληῖσαι μεγάροιο θύρασ πυκινῶσ ἀραρυίασ,

posticam dicens megari forem duplicem, et clamores si audiant

μή τι θύραζε
προβλώισκειν, ἀλλ' αὖθι ἀκὴν ἔμεναι παρὰ ϝέργωι [8]).

---

[1]) Cf. pag. 197. [2]) Cf. α 328. [3]) Cf. ϱ 492.
[4]) σ 198 sq. [5]) Ibid. vs. 206. [6]) τ 60.
[7]) σ 315 sq. [8]) φ 236 sqq., 382 sqq.

Perpetrata dein caede dormientem Penelopen e somno excitat Euryclea, laetum ei nuntium afferens; quam delirare rata regina „*quin*" ait „*ἂψ μέγαρόνδε hinc te proripis*" [1], illuc descende unde venisti, in megaron istud, quod caede cruentatum fingis; negotiis quotidianis ibi vaca.

Mox procorum caedem Euryclea his verbis enarrat:

ἥμεσ δὲ μυχῶι θαλάμων ἐΰ πηκτῶν [2])
ἥμεθ' ἀτυζόμεναι, σανίδεσ δ' ἔχον εὖ ἀραρυῖαι,
πρίν γ' ὅτε δή με σὸσ υἱὸσ ἀπὸ μεγάροι' ἐκάλεσσε [3]),

mulieres procul a megaro anxiae sedebant dum interfecti sunt iuvenes, dein Telemachus a limine megari per forem semiapertam [4]) eas ad se vocavit.

Suum sensum — quod sunt qui negent — vox *μέγαρον* obtinet etiam libri *υ* initio. Insomnis *ἐν προδόμωι* iacet Ulixes,

ταὶ δ' ἐκ μεγάροιο γυναῖκεσ
ἤϊσαν, αἳ μνηστῆρσιν ἐμισγέσκοντο παρόσ περ [5]).

Non mulierum nunc aliquod intellegendum est *μέγαρον*, sed virorum illud conclave. Nam ancillae iuvenes sunt conventurae, qui *ἑϝὸν ποτὶ δῶμα ϝέκαστοσ* abierunt; procorum autem domus ubi sitae fuerint quamquam poeta non indicavit, in ipsis certe Ulixis aedibus nemo eas quaeret. Cernit igitur Ulixes puellas, quae *μέγαρον* egressae per *πρόδομον*, ubi ipse cubat, aulam petunt, ut foras abeant ad suos amicos [6]).

Neque priscae dictioni vis infertur cum Ulixes post procorum caedem dicitur sulfure lustrasse

μέγαρον καὶ δῶμα καὶ αὐλήν [7]),

---

[1]) *ψ* 20 et 24.

[2]) Haec verba vertenda videntur: *in aedium parte posteriore, ubi sunt cellae.* Cf. *χ* 143. Et cellas duas certe poeta commemoravit, eam in qua vinum oleum aliae copiae domesticae, et eam in qua pretiosissima quaeque asservabantur. Ipsarum feminarum *cubicula* quominus cogitemus dehortari videtur epitheton *ἐϋ πηκτοί*.

[3]) *ψ* 41 sqq.

[4]) *ἀπὸ μεγάροιο* non *ancillarum* ratione habita est dictum, sed *Telemachi*, praepositio igitur *ἀπό* ita hoc loco est adhibita ut *ν* 156: *ὁππότε προσϝίδωνται λαοὶ ἀπὸ πτόλιοσ*, vel *χ* 72: *οὐδοῦ ἀπὸ ξεστοῦ τοξάσσεται*. Si dicere voluisset poeta: *filius tuus evocavit me e conclavi in quo eram*, utendum erat praepositione *ἐκ*.

[5]) *υ* 6 sq.

[6]) Eadem ratione explicanda est mentio *τοῦ μεγάρου* *Ω* 647 *δ* 300 *η* 339.

[7]) *χ* 494.

non enim mulierum conclave in his verbis τῶι τῶν ἀνδρῶν δώματι opponitur, quod nonnulli interpretes sibi persuaserunt, sed prius *ipsum locum ubi stragem edidit* lustrat heros, τὸ μέγαρον igitur, quod solum modo commemoraverat ipse, dixit enim

οἶσε δέ μοι πῦρ,
ὄφρα θεειώσω μέγαρον [1]),

dein *totas aedes* sive τὸ δῶμα, tandem *aulam subdialem* [2]).

At tertio abhinc versu offendit locutio novicia vel potius vitiosa; nam anus cum abit

ἀγγελέουσα γυναιξὶ καὶ ὀτρυνέουσα νέεσθαι,

sive *ut ancillas iubeat ex aedium penetralibus in megaron redire*, additur:

αἳ δ' ἴσαν ἐκ μεγάροιο δάος μετὰ χερσὶν ἔχουσαι,

quem versum alibi apte adhibitum [3]) hinc alienum esse sensit Duentzer.

Commemorandus est etiam locus, ubi Eumaeus postquam ad Penelopen in aedium parte superiore more solito degentem pertulit nuntium de filii reditu, dicitur ad tugurium et porcos suos rediisse λιπὼν ἕρκεά τε μέγαρόν τε [4]). Voci generali, cum ceteras domus partes tum megaron complexae [5]), ibi subiungitur proprium nomen eius conclavis quod Eumaeus reliquit; relicta enim Penelope subulcus descensis scalis per megaron foras abiit [6]).

Denique locos, ubi *aedes universas* vox μέγαρον singulari numero usurpata significare in Lexico Homerico perperam dicitur, satis habeo in annotatione indicasse, nihil enim habent insoliti [7]).

Addendum est aliquid de *duplici* megari *aditu*. Quod conclave per fores prodomi potuisse adiri cum per se intellegitur tum abunde constat: sed poteratne etiam ex interiore aedium parte illuc perveniri, an caeci erant eius parietes laterales et posticus?

---

1) χ 482.
2) Cf. pag. 199, 1 de Z 316.
3) Cf. Ω 647 δ 300 η 339 (pag. 203, 6).
4) π 341.
5) ἕρκεα = *aedes* etiam υ 164 φ 238, 384.
6) In versu parallelo ρ 604 nihil insoliti voci μεγάρωι inesse videri potest cuiquam.
7) Locis quos dico primarium illud conclave perinde atque ceteris est intellegendum: α 270, 416 β 248, 411 δ 37, 625 ϑ 106, 432 κ 432 ν 377 π 343 ρ 167, 398 σ 24 υ 144, 155, 343 φ 296. Sed φ 262 legendum est μέγαρα.

Huius dilemmatis utraque pars aut affirmanda est aut neganda, prout antiquioris aut recentioris aevi habetur ratio. Antiquissima quae de Ulixis reditu fuit fabula quin megaro unicum aditum tribuerit illum, qui fuit per vestibulum, non videtur dubium, et Homeri studiosis quomodo prodesse possint Schliemannorum labores, ex hac praesertim parte quaestionis in qua versamur colligere licet; ad Tirynthiae enim regiae megaron non nisi per prodomum potuisse perveniri testantur rudera. Sed poeta Odysseae sumsit megaro etiam forem posticam fuisse, per quam ad aedium interiora fieret aditus [1]; clausam esse hanc forem ante procorum caedem.

Praeterea, ne alios — ut olim me — in errorem ducant versus qui sequuntur:

ἀνέβαινε Μελάνθιοσ αἰπόλοσ αἰγῶν
εἰσ θαλάμουσ Ὀδυσῆοσ ἀνὰ ῥῶγασ μεγάροιο [2],

annoto hos ita esse interpretandos: *Melanthius conatus est per ῥῶγασ e megaro escendere in aedium interiora, ubi erant Ulixis cellae,* arma et ceteras regis opes continentes [3]. *Non* dicuntur aut cogitantur illic cellae, quas *sub solo* constructas fuisse aliunde constat, in aedium parte *superiore* fuisse sitae. *Ῥῶγασ* autem patet fuisse *foriculas* angustas in parietis megari parte superiore patentes, aditu haud faciles, quae in interiorem aedium circuitionem lucis aliquid et aëris e megaro transmitterent; per harum unam Melanthius in circuitionem desiluit, dein nemine advertente adiit cellam in qua arma erant seposita, quam cum invenisset patentem, duodecim inde clipeos, totidem hastas et galeas attulit et per *ῥῶγασ* procis porrexit. Qualem armorum vim quoniam non totam simul potuit gestare, patet poetam finxisse eum ter quaterve ad cellam rediisse priusquam ab Eumaeo et Philoetio sit deprehensus.

A prisco sane poeta, qui primus *τὴν Τίσιν* cecinit, aliena talia fuerunt. *Inermes* ut occuparet iuvenes, Ulixes eorum arma curavit abscondenda; nunc in conclavi unde exitus *nullus* est nisi per limen, quod ipse tenet, nihil mali suspicatos opprimit telis, ut primum tenet arcum et sagittas, sine quibus ulcisci eos non potuit; *solus* autem eos aggreditur, quippe qui in patriam venerit

---

[1]) Cf. pag. 201, 10. [2]) χ 142 sq. [3]) Cf. φ 8 sqq.

ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους, vel sic tamen sibi sufficiens *μοῦνος ἐνὶ πλεόνεσσι* [1]), quippe *εἷς πολλῶν ἀντάξιος ὤν*: — haec fuit fabula primitiva, tam perspicua quam simplex et nativo quodam candore placens. Sed quod de Achillis rebus gestis totoque bello Troiano, id de Ulixis quoque facinoribus valet: recentior aetas fabulam vetustam varie ornavit: Odysseae poeta, qui etiam *filio* herois suas in carmine tribuit partes et *plus centum* procos Ulixi opposuit, socios huic adiunxit Telemachum Eumaeum Philoetium armisque munivit, nec non procis arma et hastas praebuit, variis sic et novis inventis auditores delectans.

---

[1]) χ 13.

XIII.

DE ULIXIS RATE[1]).

Ulixis *πολύυμνον* illam *σχεδίαν* qualem sibi finxerit poeta dum brevi commentariolo efficere conor, ridiculus fere mihi videor, qui de rebus navalibus verba facere audeam homo *ἀϑαλάττευτοσ ἀσαλαμίνιοσ*. Non sic soleo, sed veterum scripta perlegens cum incido in locum qui sine rei maritimae interiore cognitione intellegi posse non videatur, interpretes adeo, an forte illorum ope rem satis perspicere possim; si minus, ad alia transeo neque veri ignorationem dedecori habeo verbisve speciosis obtegere studeo. Sic etiam in Odysseae rhapsodia quinta versari solebam; nam ratis ab Ulixe confectae quae illic commemorantur partes non omnes me agnoscere sentiebam, non poetae autem causabar dictionem, sed meam ipsius imperitiam. Postea, cum prodiisset Breusingii liber de veterum re nautica, et virum, qui vitam inter navigia nautasque transegit, ea animi confidentia quae plurimum valet ad persuadendum de hac materie viderem disputare, in eius verba iurare tantum non paratum me sensi, quippe qui non haberem quod eius argumentis opponerem. Gratus igitur eam quam ille praebebat accipiebam descriptionem *τῆσ σχεδίασ*, qua Ulixes e Calypsus insula in patriam est profectus, et ope diagram-

[1]) Haec disputatiuncula e Mnemosynes fasciculo eo, qui 1° Ian. 1897 prodiit, est repetita, sed ita ut nonnulla mutarentur, omitterentur, adderentur. — Prorsus mecum facit E. Assmann, der Floss der Odyssee, 1904. Cui mea commentatio non videtur innotuisse.

matis ab illo delineati singulas partes navigii — non enim *ratis*, sed *navigium* potius [1]) dicendum iam videbatur — ut accurate definirem dabam operam. Credebam iam scire me quales fuissent *αἶ ἐπηγκενίδεσ* quaeque praeterea illic a poeta commemorantur.... At magna veritatis est vis et semper praevalebit nisi inter eos qui caecutiant volentes. Cum enim ad Odysseae illum locum cum discipulis rediissem et singula vetusti vatis verba interpretari coniunctim conaremur, ad pristinas dubitationes relabi me sensi, mox ingenue confessus sum in alia omnia abire satius mihi videri quam ducem illum sequi. Denique mihi dixi Homeri lectoribus non tamen usque adeo demittendum esse animum ut quintum Odysseae librum adire non audeant nisi disciplinae navalis enchiridio muniti: ipsum poetam non nautis potissimum cecinisse, neque horum artis peritiorem fuisse fortasse quam Hesiodum, qui vix semel naviculae vitam suam se credidisse ingenue professus est [2]); simplicissima esse solere quae divinus canat vates et ipsa praesertim simplicitate hodiernos lectores devinctos tenere; veri igitur non esse simile hunc unum locum singularem aliquam requirere eruditionem, qualis non nisi paucis hominibus aut olim esse potuerit aut nunc possit. Denuo tunc coepi poetae verba considerare abiectis opinionum alienarum commentis: mox omnia aut fere omnia optime intellegere mihi visus sum, et periculum nunc faciam an alios in meam sententiam possim perducere.

Narrat igitur poeta in deorum consilio petente Minerva Ulixi reditum in patriam esse concessum, si neque numinum neque mortalium quoquam adiuvante illud iter perficere posset *ἐπὶ σχεδίησ πολυδέσμου* [3]). Mittitur deorum nuntius ad Calypso; quae Iovis voluntati obedituram se dicit, — omittimus nunc quae ad rem non faciunt, — naves quidem nullas sibi praesto esse, sed monstraturam se Ulixi quomodo itineris instrumentum ipse sibi possit parare [4]). Mox heroem ad se vocatum e trabibus *σχεδίαν* construere iubet; ipsam vela ei praebituram, cibaria rati imposituram, ventum secundum immissuram, quo domum deducatur. Ulixes autem rati se credere primum reformidat: ne *νηυσὶν* quidem *ἐϝίσῃσι* ingens illud mare traici; nova mala ne sibi instent se

1) „Ein Blockschiff". 2) Cf. Oper. 649 sqq. 3) Cf. ε 33. 4) ε 141 sqq.

vereri; sed postquam Calypso iureiurando ei animum confirmavit, opus aggreditur. Adit igitur insulae angulum, ubi procerae stant arbores; hic eligit alnos, populos, abietes, *τά ϝοι πλώωσιν ἐλαφρά* [1]), ligna tam levia ut aquae immissa non tota fere mergantur, sed pro parte satis magna supra superficiem extollantur. Bipenni autem et ascia a dea est instructus: illa utitur ad arbores deiciendas, hac ad resecandos ramos et ad truncos ita levigandos ut sine nimis latis interstitiis possint iuxta poni. Viginti postquam arbores cecidit, Calypso terebram ei affert; hac foramina in truncis facit, quos deinde clavis insertis *ἁρμονίῃσιν* sive iuncturis aliquibus — *sudibus* fortasse *transversis* — inter se iungit. Ultimum hoc quomodo Ulixes fecerit accuratius non definivit poeta; erunt igitur qui putent viginti illas trabes ingentes omnes iuxta se fuisse collocatas, alii fortasse statuent alteram earum partem fundum ratis effecisse, cui altera pars e transverso imposita et clavorum ope affixa fuerit. Utut id est, — nam auditorum ingenio vates perficiendam reliquit imaginem, cuius prima tantum lineamenta duxit ipse, — nihil hactenus est narratum quod aut intellectu sit difficile aut vires herois tam robusti quam fuit Ulixes excedat.

Paratum est quo per pelagus feratur *ὁ πολύτλας*: addendum est quo ratis promoveatur. Malum igitur erigit, cui alligat *ἐπίκριον*, — *antennam* intellegendam esse patet, — praeterea e viminibus crates rudi arte texit, quae fluctuum vim arceant, oram ratis in sepimenti formam ambientes [2]); in media autem rate collocat *tabulatum* (*ἴστησιν ἴκρια*), — mensae, ut breviter sic indicemus,

---

[1]) Vs. 240.

[2]) *διαμπερές*, vs. 256. — In annotatione verbo tangenda videtur alia interpretandi ratio, in quam fortasse inciderit quispiam, ego vero nullo alio consilio eius mentionem facio quam ut omnino eam reiciam. Nempe *φράξαι* quoniam *secludere* significat, per se nihil obstat quominus intellegatur de sepimento quod *in latum* extensum sit, quemadmodum *διάφραγμα* apud posteros certe dicitur membrana horizontalis fere, quae pulmones a ventre separat; itaque linguae vim non parat qui nostro loco cogitat storeas totam ratis superficiem (*διαμπερές*) tegentes. Apud poetam tamen non nisi de *munimentis* verbum adhibetur: *ἕρκει φράξαι* legimus *O* 566 et *ῥινοῖσι ἐπάλξεις φράξαι* *M* 263, quique confertissimo agmine in hostem ruunt milites *φράξαι δόρυ δουρί* dicuntur et *φραχθέντες σάκεσσι* (*N* 130 *P* 268). Praeterea quod nostro loco legimus *ῥῖπας* illas Ulixem struxisse *κύματος εἶλαρ ἔμεν*, id omnem eximit dubitationem; *εἶλαρ* enim est munimentum quod opponitur fluctuum irruentium impetui, storeae vero quae aquam inter trabes undantem arcerent ita designari non potuerunt.

quatuor pluribusve σταμίνεσσι sive *pedibus* firmiter innisae subsimile [1]), — in quo ponat victum et siccus sedeat ipse, aqua per trabium comissuras undanti non rigatus. E virgultis denique et strue foliorum sedem in illo tabulato efficit [2]).

Fecit quod potuit triduoque opus absolvit. Tum e linteis, quae Calypso ei attulit, confecit velum, vectibus ratem in mare deduxit, deae denique valedixit iterque suscepit impellente vento, quem illa ei promiserat, secundo. Per dies complures iter fecit, iamque in patriam erat perventurus, — at Neptunus ei immisit tempestatem, qua ratis ceu carduorum pappi abrepta est: fractus est malus, ratis discussa, ipse Ulixes vix tandem semianimis excidit in littore Scheriae, procul a patria.

Hactenus quae breviter enarravimus non ea videntur quae sine technologorum doctrina reconditiore intellegi nequeant; immo hac quoque suavissima parte carminis immortalis quivis potest perfrui, qui praeter linguae epicae cognitionem nihil nisi pulcri sensum incorruptum ad eam afferat. Certo autem certius est non *navem* ab Ulixe fabricari sed *ratem*; itaque, quicquid de vocabulis nonnullis hoc loco obviis est statuendum, erroris manifesti tenetur qui in navigii tamen aliquam formam conatur eam effingere. Egregie igitur errarunt qui vocem ἴκρια *tabulatum horizontale* significantem [3]) interpretati sunt navis *costas* [4]); et ἐπηγκενίδεσ vox non nisi hoc loco obvia quicquid significavit, ita utique est interpretanda ut non evocet imaginem verae navis. Ulixis autem ars, qui, cum nihil praeter secures duas et terebram sibi ad manum esset, e silvae arboribus sibi fugae instrumentum paravit, admirationem quidem nobis movet, quemadmodum Daedalum admiramur e cera pennisque sibi filioque alas conficientem, viro autem sollertissimo robustissimo audacissimo condignum est opus quod aggressus est, — sed fidem non superant haec omnia: miraculi inest nihil.

---

[1]) Apte Assmann confert Herodot. V 16 Ar. Thesm. 395, et addit Brasiliae incolas etiamnunc eiusmodi ratibus tabulato instructis uti.

[2]) Vs. 251 sq.

[3]) Ceteris locis Homericis ἐν τοῖσ ἰκρίοισ statur, curritur, sedetur, si res fert dormitur. Quae et apud posteriores fuit vocis vis.

[4]) Sic veteres quidam apud Hesychium s. v. et nostra aetate Breusing.

At inerit si ratis illa mutabitur in aliquid quod navis sit simile. Verae enim navis singulas partes conficere et inter se ita iungere ut maris fluctibus opponerent latus bene cohaerens, aquae ne minimam quidem particulam transmittentes, quomodo tandem potuit vir qui securi tantum et terebra uteretur? Unde tabulas levigatas, trabes accurate dedolatas, secundum artis leges incurvatas — intra quatriduum videlicet! — parare sibi potuit? quomodo ad suum singula modulum recidere, aptis angulis inter se iungere? Nulla ei serra fuit, nullum scalprum, nullum instrumentum ad dirigendas lineas angulosve demetiendos. Nam si quis contendat heroem his quoque aliisque fortasse operis adminiculis instructum cogitandum esse *κατὰ τὸ σιωπώμενον*, omnino abnuamus talem interpretandi rationem, qua nativus priscae fabulae lepor evanescat et deae caverna amoena in fabrorum aliquam tabernam mutetur. Dein si eodem argumento uti pergens obiciat versum 245

'ξέσσε δ' ἐπισταμένωσ καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνε,

ubi *amussim* tamen adhibuisse Ulixes dicitur, licet nullam ei praebuerit Calypso, respondeamus illum versum, qui duobus aliis Odysseae locis optime habet, hoc indicio nunc damnari et omnino e compage resecandum videri. Lepida enim narratio, quam priscus vates enuntiaverat verbis simplicibus et cuivis perspicuis, a posterioris aetatis hominibus ita est interpolata ut in maius adaugerentur quae de Ulixe narrarentur. Minervae alumno ne quid ignotum fuisse videretur, non humilem ratem crassa arte confecisse credebatur videlicet, sed veram navem sibi fabricasse, dedolasse igitur tigna et ad amussim direxisse, ut inter se quadrantia sine rimis possent iungi; mox erexisse costas obliquis statuminibus fulciendas, ut fluctuum impetum possent arcere, et sic portenta locutus esse et artis nauticae in paucis curiosus fuisse poeta videbatur, quemadmodum rei militaris ceterarumque artium et disciplinarum omnium peritissimus aliquando est habitus. Comparatio autem ratis cum papporum palearumve glomere impetu venti dispulso, quae aptissima est in ore nostri poetae, arborum congeriem rudi arte coniunctam auditorum menti obicientis, infelicissima fiet si navis vi procellae fracta ea pingi credetur.

Fuit cum etiam gubernaculum putarem recentiorum *κακοζηλίαι* deberi. Et subesse huic Odysseae parti narrationem simpliciorem,

qua rati neque tabulatum statuminibus suffultum superstrueretur neque gubernaculum adderetur, sed heros in ratis trabibus sedem habuisse sumeretur et ipso vento a dea immisso illuc quo fata ferebant delatus esse, etiamnunc veri videtur simillimum. Ipsum tamen Odysseae poetam gubernaculum rati affinxisse non iam nego, licet utile id vix et ne vix quidem esse potuerit viro quem aura secunda in patriam propelleret. Nam tam malignam fuisse deam ut non verum *οὖρον* cieret sed ventum mutabilem et e transverso in velum incidentem, id nemini in animum incidet.

XIV.

DE NOMINE ACHILLIS [1].

Dicaeopolidem meminimus Aristophaneum in foro suo dapibus succulentis veluti obrutum. Cui offertur etiam quaedam

πρέσβειρα πεντήκοντα Κωπάιδων κορῶν,

sic enim a mercatore Boeotio vocatur anguilla bene pinguis. Effuso ut opinor risu spectatores olim acceperunt versum Aeschyleum

πρέσβειρα πεντήκοντα Νηρείδων κορῶν

tam ludicre detortum, et rident qui hodie Acharnenses fabulam legunt, simul tamen indignantur fortasse chorum Nereidum in prolem paludis Copaidis mutatum. Thetidi quid cum anguilla!

Quid vero si ipsum Thetidis flavum illum filium anguillam vocasset comicus! Absurdum profecto, turpe, ineptum, quid non esset visum!

Ineptusne igitur sum equidem, qui eiusmodi quid sustineam? Fere ipse mihi videor et vix audeo in medium proferre quae diu in scriniis pressi, veritus ne aemulari crederer etymologos illos qui *Ilii luctum* vel *labiis carentem* Achillis nomen sunt interpretati; *ἀλλ' οὐ γὰρ τρέσσαι μ' ἐάει γλαυκῶπις Ἀθήνη*, dicam quod verum duco.

Paucis abhinc annis etiam peritissimi zoologi penitus ignorabant anguillarum natales neque ova matura viderat quisquam.

---

[1]) Repetita est haec commentatio ex eo Mnemosynes fasciculo qui 1° Iul. 1906 est emissus.

Itaque Aristoteles olim „ἔγχελυσ ᾠιὰ ὅλωσ οὐκ ἔχει" scripsit [1]) et reiectis aliorum erroribus docuit anguillas nasci e vermibus terrestribus qui vocentur γῆσ ἔντερα, αὐτόματα δὲ ταῦτα συνίστασθαι ἐν τῶι πηλῶι [2]). Quid mirum igitur quod veteres animalia, quae neque specie neque moribus aliis piscibus sunt similia et quadamtenus terrestria dici possunt, — solent enim prima iuventute per prata humida longa itinera facere, ut e mari, ubi nata sunt, perveniant in locos sibi convenientes, — pisces esse rati non sunt. Etiamnunc a piscibus eas discernere solent piscatores et prope meam domum sunt duo fora, quorum alterum „forum piscarium" alterum „forum anguillarum" nomen habet [3]), ita ut urbem, quam Athenas Batavas fuere qui vocarent, hac certe in re a priscarum illarum Athenarum legibus non recessisse appareat, καὶ γὰρ ἐκεῖ ἐν τῶι ἀγορανομικῶι νόμωι διέσταλτο ἰχθύων καὶ ἐγχελέων τέλη [4]) et alia macelli pars οἱ ἰχθύεσ dicebatur, alia αἱ ἐγχέλεισ [5]).

Ergo homines specie ducti neque rerum naturalium curiosi, quibus delphines ceterique ceti sunt pisces, anguillas non inter pisces recensuerunt sed vocarunt... *anguillas* sive angues exiguas.

Haud aliter priscus poeta, apud quem „ἐγχέλυέσ τε καὶ ἰχθύεσ" arrodunt Asteropaei corpus, mox ipsi Vulcani ignibus oppressi [6]).

Proxime igitur inter se cognatas esse voces ἔγχελυν *anguem anguillam* neque mirari potest quisquam neque ipsam rem in dubium est vocaturus.

Conferentibus autem vocabula, quae aliae linguae his habent cognata, apparet stirpis Indogermanicae **engh-* formam debiliorem *n̥gh-* extitisse aliquando. Testes sunt voces Skr. *ahi-* et Avest. *-aži-* [7]). Expectabatur igitur Graeca vox *ἄχισ, sed non extat haec: extat ἔχισ. Quam peperisse videntur voces *ἄχισ et *ἔγχισ contaminatae.

Nimiaene audaciae videtur Graecas has voces finxisse? At alteram certe non finximus. Nam ἔγχελυσ unde nisi a stirpe ἐγχ-?

---

[1]) De Animal. Hist. III 10.

[2]) Ibid. 16, cf. de Animal. Gener. III 11.

[3]) „*Vischmarkt*" et „*Aalmarkt*".

[4]) Schol. Oxyrh. et T ad Hom. Φ 203.

[5]) Cf. Ar. Pac. 1006.

[6]) Φ 203 et 353.

[7]) Harum rerum imperitior cum interrogassem collegam amicissimum Uhlenbeck, pro sua comitate hic certiorem me fecit. Cui ex animi sententia gratias ago.

Et integrius illud *ἔγχισ* agnoscere mihi videor loco quodam Homerico. Unicum poesis epicae dico versum, quo anguis non *δράκων* vocatur, sed alio nomine designatur:

Τρῶεσ δ' ἐρρίγησαν, ἐπεὶ 'ϝίδον αἰόλον ὄφιν [1]).

Hunc hexametrum *μείουρον* vocabant veteres, foedum vitium nomine specioso velantes, *οὖφιν* scribebat Bentley, *ὄπφιν* scribi hodie sunt qui iubeant, sic explicari videlicet vel excusari rati quicquam. Multo prudentior fuit Brandreth, qui *ὕδρον* substituerit, nimis tamen ille audacter. Equidem *αἰόλον ἔγχιν* olim fuisse suspicor [2]).

Stirpes autem si gemellae olim fuerunt *ἐγχι* et *ἀχι*, eo deducimur ut vocis *ἐγχελυ* sororem fuisse vocem *ἀχιλυ* suspicemur. Huic adiungatur terminus *-εύσ*, qui sollemnis est in propriis priscorum heroum nominibus, — *Ἀτρεύσ*, *Τυδεύσ*, *Φοινεύσ*, *'Ερεχθεύσ' Πηλεύσ*, *'Οδυσσεύσ* alia in mentem statim veniunt cuilibet — et fiet *Ἀχιλυ-εύσ* sive *Ἀχιλϝεύσ*, *Ἀχιλ(λ)εύσ*.

Anguem comitem habuit Aiax [3]), alter ille Aeacida clarissimus, Achilli suppar, Thetidem autem in anguem mutatam priscae fabulae celebrarunt [4]): filium, cuius tumulus in prisca hydria angue cernitur insignitus [5]), ab angue et ipsum nomen duxisse mirum parumve credibile videtur?

Accedit autem quod fidem faciat. Gens Achillis unde venit? Dixit ipse tum cum pro sodalis salute preces faciens *Iovem* invocavit *Dodonaeum* [6]). Ut Thesprotiae incolae invaserunt eam Thessaliae partem, quae in Iliade Argos Pelasgicum vocatur [7]), sic olim ex iisdem regionibus in Phthiotidem pervenerunt Achivi illi, quorum filios vel nepotes in Asiam bellatum duxit Achilles [8]), huius autem nepos Molossus illuc rediit ibique regnavit.

---

[1]) *M* 208.

[2]) Neque *ἔχισ* apud Homerum invenitur neque *ὄφισ* apud eum legitur alibi.

[3]) Cf. Usener Archiv f. Religionswissenschaft 1904 p. 328.

[4]) Cf. pag. 114, 6 (Soph. fr. 163). In Cypseli area cernebatur *Πηλεὺσ Θέτιδοσ λαμβανόμενοσ καὶ ἀπὸ τῆσ χειρὸσ τῆσ Θέτιδοσ ὄφισ ἐπὶ τὸν Πηλέα ὁρμῶν* (Pausan. V 18), „diese Schlange ist nach Analogie . . . Thetis selbst" (Bloch in Roscheri Lexico Myth. s. v. *Peleus* p. 1834).

[5]) Cf. Roscheri Lex. s. v. *Polyxena* p. 2735.

[6]) *Π* 233 sq.

[7]) Cf. *B* 681 cum Herodot. VII 176 Thucyd. I 12.

[8]) Cf. Ridgeway Early Age of Greece I p. 339 sqq.

In regione autem, unde originem habuit Achilles, postea vixerunt οἱ Ἐγχελεῖσ sive Ἐγχελέαι [1]). Quorum reges a Cadmo et Harmonia repetebant gentis originem; Cadmum Thebis pulsum cum uxore et civibus illuc migrasse [2]), dein ibi regnasse, tandem in angues et ipsum et uxorem esse mutatos [3]), narrarunt posteri, et erat Cadmi Harmoniaeque sepulcrum in saxis orae Illyricae, haud procul ab Acrocerauniis promunturio [4]).

„In Epirum" igitur „abiisse" Cadmum et Achillis nepotem fabulati sunt posteri: ipsas eorum gentes inde fuisse oriundas dicamus potius et hoc teneamus, in priscis fabulis ἔγχελυν id quod δράκοντι valuisse. Sic igitur Cecropi „τῶι πρὸσ ποδῶν Δρακοντίδηι" aliisque daemonibus vel heroibus permultis anguium figuram indutis proxime cognatus fit Ἀχιλλεύσ ille, cui in poesi Homerica veteris vestigia limi nulla praeter nomen remanserunt.

Fabula quae est de Cadmi Harmoniaeque excessu aenigmatis cuiusdam solutionem videtur praebere. Cadmus anguem sacri fontis custodem interemit iuvenis et in anguem ipse mutatus est senex: primitus igitur fuit arcis Cadmeae daemon tutelaris sub anguis specie cultus, qui nisi in saxis Cadmeae, ut Atheniensium ὄφισ οἰκουρὸσ in horum arce, habitare non potuit. Atqui eundem εἰσ δράκοντα μεταβαλόντα „μακάρων εἰσ αἶαν" sive εἰσ Ἠλύσιον πεδίον ὑπὸ Διὸσ ἐκπεμφθῆναι ferebat fabula recentior [5]). Haec conglutina atque contamina: quid habebis? Id quod apud lexicographos lectum portenti instar est: „μακάρων νῆσοσ· ἡ ἀκρόπολισ τῶν ἐν Βοιωτίαι

---

[1]) Cf. Strab. p. 326, Steph. Byz. s. v. — Etiam in Boeotia fuisse Ἐγχελεῖσ gentem ex Hellanici in Boeoticis fide ait schol. Ar. Lys. 36. Quod nomen ab anguillarum Copaicarum captura deduci vix potuit, sed, ut alia plurima, e Thessalia illuc migrasse videtur. Potuit sane pagus *Enchelea* ab anguillis nomen habere, sed huius incolae Εγχέλιοι potius erant dicendi. — Attica nomina Ἔχελον et Ἐχελίδασ nunc mitto utpote nimis incertae originis.

[2]) Herodot. V 61, cf. IX 43.

[3]) Eur. Bacch. 1336 sqq., Ovid. Metam. IV 563 sqq., Apollodor. III 5 § 4. E Catalogis Hesiodeis ductam esse fabulam suspicatus est Crusius (s. v. *Kadmos* in Roscheri Lexico Myth.).

[4]) Apoll. Rhod. IV 517 sqq., Callimachus apud Strab. p. 46, Phylarchus apud Athen. 462*b*, Eratosthenes apud Steph. Byz. s. v. Δυρράχιον, Nicandr. Ther. 607, Dion. Perieg. 390 sqq.

[5]) Eur. Bacch. 1339, Apollodor. III 5 § 4, schol. Pind. Pyth. III 153.

Θηβῶν τὸ παλαιόν" [1]). Ubi pro *νῆσοσ* scribe *ἕδοσ* [2]) et habebis priscam fabulam Boeotiam: scribe *νῆσοι* — nam singularis numerus hinc alienus — et abice sequentia, habebis fabulae recentioris initium. Coniuncta sine et habes ... nugas meras.

Et aliud aenigma hic videtur indicandum, sive solvi id potest sive nequit. Draconteo quicunque genere nati erant, in corpore insigne habebant hastam [3]). Cur vero „*λόγχησ*" figuram Thebani illi *γηγενεῖσ* in cute ferebant? Pro vocabulo a dictione epica alieno scribe vetustius illud *ἔγχοσ* vel *ἐγχείην* et mirum ni appareat nexus. Quemadmodum *serpentes* et *falcones* dicta sunt tormenta ignivoma et ratione inversa *lance de fer* vocatur hodie vipera quaedam venenosa, sic tela sua *serpentes* dixere prisci milites, et sermone poetico sagitta vocatur *πτηνὸσ ἀργηστὴσ ὄφισ* ab Apolline Aeschyleo [4]): *serpentem* autem in corpore ostendebant sparti Cadmei, veteris illius serpentis proles.

---

[1]) Phot. Hesych. Suid.; cf. Crusius in Roscheri Lex. Myth. II 890 et saepius. — Simile quid de sepulcro *Hectoris* scribit Lycophron 1194, 1204, 1208: heroem Cretam, inde *εἰσ μακάρων νήσουσ* abductum iri, Thebis autem tumulum habiturum (cf. schol. Hom. *N* 1, Pausan. IX 18 § 5, Crusius Sitzb. d. bayr. Ak. 1905 p. 761 sqq.). — Non prodest collatus Herodotus III 26.

[2]) Cf. *Ω* 544.

[3]) Aristot. Poet. 16, Dio Chrys. IV 23, Plut. Ser. num. vind. 21, Iulian. 81*c*, Hygin. 72.

[4]) Aesch. Eum. 181.

XV.

ΝΗΟΣ QUID EST?[1])

Saepe est dictum, in carminibus Homericis multa inveniri quae hodie viventibus intellectu sint faciliora quam fuerint priscis Graecis. Etiam facilius fortasse hodie intellegerentur vetusta illa carmina, si inita ratione ea, cuius auctor acerrimus et peritissimus olim extitit Ludolphus Ahrens, Graecae linguae addiscendae initium ab ipso fieret Homero. Nunc enim iis qui ad poesin epicam accedunt multa impedimenta praebet lingua V[i] saeculi, quam prius addidicerunt. Vel sic tamen manet illud, Homeri versus multos melius intellegi a lectoribus hodiernis quam olim sint intellecti a Graecis, qui a pueris cum iis consuevissent. Nempe eam ipsam ob causam, quod inde a primis annis ea cognita habebant, non satis ab omni parte intellegebant. Nam qua aetate *νήφουσι* quidem homines, sed nondum sciunt *ἀπιστεῖν*, quod adultae demum aetati vita afferre solet donum infelix, carmina epica discere et ediscere Graeci incipiebant, neque poterat fieri quin singulis verbis tunc eam tribuerent vim qua in vita quotidiana uterentur; itaque adverbium *πάλιν* Homero non esse *denuo*, *σχεδόν* non *ferme*, *ὁμῶσ* non *tamen* significare aliaque eiusmodi plurima aut nunquam aut postmodo demum intellegebant.

Haec res quam maxime me denuo advertit, cum notissimum quendam versum ex Iliadis initio a Nicolao Wecklein viro hono-

---

[1]) **Primum edita est haec commentatio in Mnemosyne 1[0] Apr. 1906.**

ratissimo eo consilio allatum invenirem ut inde efficeret quo aevo carmen quod est de Ira Achillis esset natum [1]). De quo loco cum aliter sentiam, periculum videtur faciendum an et ipsum Weckleinium et alios philologos in meam pertrahere possim sententiam [2]).

Sacerdotis dico preces illas ad Apollinem:

κλῦθί μοι, ἀργυρότοξε, ...
.... *εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα,*
ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα,
κτἑ.

Hunc maximi momenti sibi esse versum ait Wecklein, inde enim apparere haud ita raro tunc temporis a piis hominibus aedes dis esse extructas, Achilleïdem igitur recentiore sive Ionica aetate compositam esse testari vocabulum illud *νηόν* [3]).

Rogo igitur id quod huic commentariolo superscripsi: „*νηόσ* quid est?"

Socratem audiamus Platonicum. Qui oratione soluta cum enarraret Iliadis exordium, Chrysae haec verba sic reddidit: „*ὁ πρεσβύτησ πολλὰ τῶι Ἀπόλλωνι ηὔχετο,* .... *εἴ τι πώποτε ἢ ἐν ναῶν οἰκοδομήσεσιν ἢ ἐν ἱερῶν θυσίαισ κεχαρισμένον δωρήσαιτο* [4]).

Hic est Plato, qui Homerum ut digitos suos norat, amabat, admirabatur, licet a civitate perfecta procul habendum censeret. Ne hic quidem vir cultissimus sagacissimus, scriptor elegantissimus, immo vere divinus et ipse poeta, sensit non idem esse si quis ipsius aequalis et si priscus vates voce *ναῶι* vel *νηῶι* uteretur. Platonis civibus *νεώσ* erat *aedes lapidea*, artis opus splendidum pretiosissimum ornatissimum, in cuius cella numen habitabat; *domus* erat arte sive maiore sive fortasse rudiore operose aedificata, longos duratura in annos. Itaque ne suspicati quidem sunt aliud alio aevo illam vocem potuisse valere, et ad

---

[1]) Studien zur Ilias von N. Wecklein, 1905.

[2]) Et antehac hunc locum tetigi in oratione, quam habui in Academiae nostrae Regiae consessu m. Octobri 1904 et paullo fusius in annotatione 37 opusculi patrio sermone scripti: *de Boogschutter en de Weefster*, 1904, — breviter tamen et illic.

[3]) „Vor allem wichtig ist uns *A* 39, wo es als ein nicht ungewöhnlicher Akt der Frömmigkeit hingestellt wird einem Gotte einen überdachten Tempel zu bauen. — Dieses *νηόν* in *A* weist jedenfalls die Achilleis der jüngeren, der jonischen Zeit zu" (l.l. p. 50). Cf. etiam Helbig noti operis² p. 417 sqq., Cauer Grundfragen der Homerkritik 1895 p. 199.

[4]) Plat. Rep. 394*a*.

nostros usque dies in hos similesque errores pronos mansisse viros doctos quantumvis sagaces et peritos testantur quae modo citavi verba Weckleinii, neque nominatim hunc indicare sum veritus, quoniam nemini pudori potest esse in eum incidisse errorem qui cum Platone sibi sit communis.

Est tamen error manifestus. Ipsum poetam iam interrogemus. „*Si tibi unquam* ....” non est hoc exordium rem commemoraturi quae nisi semel fieri non potuerit cuiusque effectus hucusque permanserit. Ita indicantur quae saepius acciderint, certe potuerint accidere, — etiam posthac futura, si is ad quem verba fiunt gratum se praestiterit. Nam verbis: „*si unquam tibi sacra tuli, nunc aurem mihi praebe*” subest: „*nunc si aurem mihi praebueris, et posthac sacra tibi feram opima*”.

Fortasse obiciat mihi aliquis Achillis ad matrem verba: „*Iovem obsecra, εἴ ποτε δή τι ἢ ϝέπε᾽ ὤνησας κραδίην Διὸς ἠέ τι ϝέργωι*” [1]), ubi certam quandam rem Achilles aut solam cogitat aut potissimum. At potuit etiam saepius Iovi prodesse Thetis, fortasse revera profuit: nihil certe obstabat quominus sumeret id Achilles. Sed saepius Apollini *νηὸν* extruxisse sacerdotem, id non absurdum videri nequit si cum Platone eas cogitamus deorum domus, quas ille ob oculos habebat. Quamquam Platonem quid criminamur nec gratias potius ei agimus! Nam *plurali numero ναῶν οἰκοδομήσεσιν* id ipsum significavit quod demonstratum ivimus, de re quae saepius acciderit sermonem fieri. Nec mirum! Nam in verbis epicis interpretandis Plato errare potuit, non potuit non persentire vim particularum quales sunt *εἰ* et *ποτε*.

Quid igitur? Restat ut *νηόν* non talem, qualem Platonem cogitasse testatur vox *οἰκοδόμησις* ab eo adhibita, mente nobis informemus, sed talem qualem ipse dixit poeta. Hic „*χαρίεντα*” eum vocavit. Siccine Pericles vocaturus erat Parthenonem vel Pisistratus templum Iovis Olympii? Eratne *venustum* Apollinis templum Milesium vel Delphicum, Dianae delubrum Ephesium? Alios, opinor, in usus creata sunt adiectiva *venustus*, *formosus*, *amoenus*, *gratus*.

Et „*ἐρέψαι*” quid est? Quod dum perpendimus, desinimus tam

---

[1]) *Α* 394 sq.

graviter quam fieri solet vituperare eos qui delubrum *ἐστεφανωμένον* sive *corollis ornatum* intellexerunt [1], — perperam quidem illi quoque, sed ipso errore testati falsam sibi videri opinionem vulgarem, qua *ἐρέψαι* id quod *aedificium tecto instruere* nostro loco significare creditur. Senserunt fortasse, mirum esse si solum *tectum* aedis sic commemoretur, de parietibus taceatur. Fortasse etiam recordati sunt — nos certe nunc recordamur — alterius loci ubi *ἐρέψαι* in Iliade reperitur [2]: *milites Achillis tabernaculum*

καθύπερθεν ἔρεψαν
λαχνήεντ' ὄροφον λειμωνόθεν ἀμήσαντες [3]).

En materia quae hominibus tugurium *ἐρέψουσιν* praesto fuit. Non ingentis molis advolvuntur tigna, sed herbae et virgulta plenis manibus conferuntur, non quae in aeva futura perdurent, sed quae per breve temporis spatium permaneant — tamdiu quam durare solent castra [4]), tamdiu quam durabant umbracula quae diebus festis erigebantur dis dapes sibi propositas adituris.

Nulla iam comparet aedes lapidea solidaque contignatione superne clausa: — in auras evanuere parietes, tecti cernimus ramos, folia, herbas, flores — trabes nullas [5]). Iusta sacra quoties deo suo ferebat sacerdos, *ἐν ἄλσεϊ δενδρεόεντι* ei collocabat *σκιάδα*, ubi cenae assideret conviva honoratissimus.

Quae si probabiliter sunt disputata, — neque video quomodo verba poetae aliter possint accipi, nisi vis iis inferatur, — sequitur ut statuamus eum qui haec cecinit *deorum aedes* non habuisse cognitas. Perantiquum igitur potius quam aetatis recentioris esse versum de quo loquimur inde efficitur. Tale umbraculum Apollini Sminthio quoties opus erat erigebat Chryses, quale postea Apollini Carneo quotannis stabat Spartae [6]), nono quoque anno Delphis

---

[1]) Cf. e. g. Lucian. XIII § 3.

[2]) Non nisi tribus locis Homericis invenitur *ἐρέψαι*, quorum tertius legitur illo Odysseae loco (ψ 193) ubi de thalamo Ulixis narrantur mirifica. Qui primitus non verus fuit thalamus, sed arbor sacra; cf. cap. II, pag. 73 sqq.

[3]) *Ω* 450.

[4]) De temporis spatio, per quod ante Troiam bellatum est, cf. cap. I, pag. 17 sqq.

[5]) Partem veri invenio in editione Iliadis quam curavit Leaf (1886^1, 1900^2): „a mere roof to protect the image of a god standing in a grove". Exime imaginem — et id ipsum habebimus quod supra descripsimus.

[6]) Cf. I. Vürtheim de Carneis, Mnemos. 1903, 234 sqq.

stabat Apollini Pythio [1]), qualia Athenis inde ab aevo perantiquo erigebantur Thesmophoriis et postmodo certe Adonidi struebantur. Nec non apud Vergilium *σκιάδοσ* obtentu frondis inumbratae in funeris descriptione fit mentio [2]). *Χλωραὶ* huiuscemodi *σκιάδεσ* profecto „*χαριέσταται*" erant! Hi *νεῶι*

μαλακῶι βρίθοντεσ ἀνήθωι

δέδμηντο —

— deme flores, si lubet, pro herbis cultui Adonidis propriis pone ramos laureos, etiam foliorum quantumvis recide: *χαρίεισ* utique restabit *ναόσ*, *sedes amoena*, si Homerice, non Platonice loquimur.

Recusanturne testimonia Sparta Delphisve petita et ex aevo multo recentiore, et magis etiam spernuntur quae docent umbracula in Marducis et Istaris honorem erecta apud Babylonios, cuius moris etiam inter Iudaeos postea valentis causa ficta refertur in libro Estherae sortem narranti [3])? Immerito — ut mihi quidem videtur — fidem his denegaverit quispiam. Sed si his de rebus testimonii dictio non videatur esse Ephoro vel Theocrito vel Pausaniae, ne sic quidem testibus erimus destituti. Nam Homero utique in Homeri verbis interpretandis non denegabitur fides.

Apud quem quid refertur de Aethiopum sellisterniis — ut brevi hac et perspicua voce nunc utamur? [4]) Iuppiter

μετ' ἀμύμονασ Αἰθιοπῆασ

. . . *ἔβη κατὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντεσ ἕποντο* [5]),

et Neptunus

Αἰθίοπασ μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντασ,

ἀντιάων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβησ [6]),

et Iris *illuc festino*, ait, *nam*

ῥέζουσ' ἑκατόμβασ

ἀθανάτοισ', ἵνα δὴ καὶ ἐγὼ μεταδαίσομαι ἱρῶν [7]).

---

[1]) Cf. Ephorus apud Strab. 422, Plut. Mor. 418.

[2]) Cf. Verg. Aen. XI 66. Et nonne eodem tendit aediculae frondeae mentio, intra quam cadaver vituli deponendum esse ut inde apes gignantur, Vergilius gravibus mehercule versibus narrare non erubuit Georg. IV 295 sqq.?

[3]) Cf. E. Meyer, Gesch. d. Alt. III 218.

[4]) *Lectisternia* dicerem nisi de aevo Homerico, cum thronis, non lectulis utebantur cenantes, nunc esset sermo.

[5]) *Α* 424 sq. [6]) *α* 22 sq. [7]) *Ψ* 206 sq.

Abeunt di ad gentem remotam, ubi perfruantur dapibus larga manu sibi oblatis. Non eminus in plagis aetheriis — vel ubicunque commorari solent — expectant donec ad se perveniat nidoris aliquid *ϝελισσόμενον περὶ καπνῶι*, sed locum ubi in eorum honorem lautae epulae habentur visunt ipsi. Vocati adsunt, quemadmodum etiam aevo multo recentiore Apollo Dionysus Minerva Gratiae Musae cetera numina vocata credebantur adesse ludis qui ipsorum in honorem habebantur. Plena invocationum sunt carmina chorica.

Vocatur numen, et in ara sub divo collocata [1]) comburuntur quae ei offeruntur. Iamque vocatum adest; sed solusne sede careat conviva caelestis? Absit! Stat sedes parata, stat ei *νηὸσ χαρίεισ*, — cras vel perendie removendus cum cetero epularum instrumento et reliquiis [2]).

Fabulam fingere videmur? At testis nobis nunc quoque Homerus ipsaque adeo sapientiae Dea, quae sumta figura puellae Phaeaciae claris simplicibusque verbis ait *„deos una cum Scheriae incolis assidere quoties sacra illi ferant":*

θεοὶ φαίνονται ἐναργὲσ
εὖθ' ἧμεσ ϝέρδωμεν ἀγακλειτὰσ ἑκατόμβασ,
δαίνυνταί τε παρ' ἧμι καθήμενοι ἔνθα περ ἧμεσ [3]).

Idem fiebat in sacris quae ceteri ferebant mortales; sed Phaeacibus, *ἅτε ἀγχιθέοισ οὖσιν* [4]), etiam *conspiciendos* se praebebant caelites: aliorum hominum oculos *ἀχλὺσ* obstrictos tenebat quominus eos cernerent. Itaque Pylii — ut hoc exemplo utamur — cum publicas dapes obierunt in honorem Neptuni [5]), huic deo quin *χαρίεισ νηὸσ* steterit non videtur dubitandum, licet adspectus non sit deus.

Nausitheus autem cum Scheriam condidit ibique *νηοὺσ 'ποίησε θεῶν*, non aedes aliquot aedificavit caelitibus habitandas, sed et ceteris et Minervae *τεμένεα* quaedam secrevit, ubi sub divo vel sub umbra sacrae alicuius arboris, ad fontem iugis aquae, iusto

[1]) Hic mos et postea permansit, utque permaneret ferebat ratio: Cario modo rogetur Aristophaneus, ex aedibus heri *νεοπλούτου* profugiens propter fumum intolerabilem.

[2]) *Mensa* apud Aethiopes *Soli* structa (Herodot. III 17 sq. Paus. I 33, § 3 VI 26 § 1) in annotatione certe hic commemorata esto.

[3]) η 201—203. Scripsi *εὖθ' ἧμεσ* pro traditis *ἡμῖν εὖτ'*.

[4]) ε 35. [5]) γ 5 sqq.

tempore iis perferrentur sacra. Et Minervae quidem illud fanum ante urbem fuisse, non intra moenia, disertis verbis dixit poeta [1]; etiam *Ποσιδήϊον* [2], quod in medio urbis foro stabat, non cellam sed lucum sive aram arboribus inumbratam fuisse intellegimus collato altero loco Homerico ubi *Ποσιδήϊον* aliquod commemoratur, id enim vocatur *ἄλσοσ* [3]; itaque ceterorum quoque deorum illa delubra fuisse lucos apparet et fere demonstrari potest. Nam haec sunt poetae verba:

ἀμφὶ δὲ τεῖχοσ ἔλασσε πόλι καὶ ἐδείματο ϝοίκουσ
καὶ νηοὺσ 'ποίησε θεῶν καὶ ἐδάσσατ' ἀρούρασ [4]),

„*urbem condidit muroque cinxit, dein agros distribuit inter cives, postquam deorum secrevit delubra*": *κλήρουσ ποιήσασ τῆσ γῆσ τοῖσ μὲν θεοῖσ τινασ ἐξεῖλεν ἱερούσ, ἐπὶ δὲ τοὺσ ἄλλουσ κληρούχουσ τοὺσ λαχόντασ ἀπέπεμψεν,* — ut Thucydidis de agro Mitylenaeo scribentis nunc utamur verbis [5]).

Celsas igitur deorum aliquas domus urbem Scheriam neutiquam habuisse post ea quae disputavimus satis constat et certius etiam testatur Ulixis silentium disertum; qui postquam urbem intravit, moenia quidem admirabundus intuetur et navalia et regiam Alcinoi, — de templis vero deorum illic *οὐδὲ γρῦ!* [6]).

Melius iam perspicimus quid deliquerit Oeneus, cum Thalysia celebrans Dianae non persolvit honorem debitum. Regis sive incuria sive inscitia sella *χαρίεσσα* huic deae non est instructa, *ἄλλοι δὲ θεοὶ 'δαίνυνθ' ἑκατόμβασ* [7]).

Itaque, ut ad Chrysae verba illa, unde disputandi fecimus initium, iam redeamus, *ἓν διὰ δυοῖν* illic efficiunt *τὸ* „*νηὸν χαρίεντα ἐρέψαι*" *καὶ τὸ* „*μηρία κῆαι*", quae si coniunctim nostris verbis enuntiamus, id unum dicit sacerdos: „*si unquam gratas epulas tibi instruxi, nunc mihi praesta te benevolum*". Nec mirum Ulixem, cum Chrysen navi pervenisset Agamemnonis nomine Chryseidem patri redditurus et Apollinem placaturus, non *dei aedem* quae nulla esset intrasse, sed ad *aram* sub divo collocatam et puellam adduxisse et hostias deo mactandas [8]).

---

[1]) ζ 291, 321 sq.
[2]) ζ 266.
[3]) Β 506.
[4]) ζ 9 sq.
[5]) Thucyd. III 50 § 2.
[6]) η 43 sqq.
[7]) Ι 535.
[8]) Α 440 sqq.

Primitus autem si *νηόσ* nihil nisi locum vel sedem numini sacram significavit, — et sic statuamus necesse est nisi in cassum reciderint quae hactenus disputavimus, — nullum huic voci inesse potest aetatis sive recentioris sive antiquioris indicium, sed potius ratione inversa sicubi vox *νηόσ* vel *ναόσ* usurpatur, ex aetate operis, in quo legitur, efficiendum est quem sensum voci ambiguae — nam non minus est ambigua quam sunt *templum*, *fanum*, *delubrum* — tribuerit illius operis poeta vel scriptor pedester. Ipsum quidem sonum vocis satis recentem aetatem prodere sunt qui contendant, *ναόν* enim, non *νηόν* reperturos nos fuisse in carminibus epicis, ut *λαόν* et *τάων* et similia, si etiam primis vatibus illa vox in usu fuisset [1]. Cum tamen caeco casu passim permutati inveniantur soni η et ᾱ in carminum epicorum textu tradito [2], huic argumento praestat, ut opinor, nullum tribuisse pondus. An et *naves* primis belli Troiani poetis ignotas dicemus propterea quod in Iliade et in Odyssea *νῆεσ*, non *νᾶεσ* dicantur? Quicquid id est, et Iliadis et Odysseae poeta quam vim voci *νηῶι* tribuerit vidimus.

Sed restant loci nonnulli utriusque carminis epici ea quam iniimus ratione interpretandi. Quorum notissimus is est ubi matronae Troianae deam urbis tutelarem supplices adeunt [3]. Illic commemoratur sane sacelli *ianua*, commemoratur *deae* sedentis *imago*, sed ita si rem nobis informamus ut intra fani septum sub sacra aliqua arbore, qualis Romae fuit ficus *Ruminalis*, collocatum fuerit illud *βρέτασ τῆσ Ἀθηναίασ*, non video quomodo possimus refelli. Et fortasse — cui argumento non multum sed aliquid tamen tribuendum videtur — fortasse dixerit quispiam deae sub divo degenti novam vestem etiam magis gratam futuram fuisse quam ei quae in aede bene clausa ab aëris intemperie tuta esset.

Idem valet de ceteris locis Homericis ubi *νηοί* commemorantur; sunt autem paucissimi.

In arce Troiana Apollinis quoque fuisse dicitur *νηόσ*. Cuius si nulla fieret mentio, per se tamen intellegeretur tutelari huic urbis numini sedem in arce non defuisse. In huius igitur delubri

[1]) Cf. Cauer Grundfragen der Homerkritik[1] p. 109 sq.
[2]) Cf. Enchirid. dict. ep. p. 26—39.
[3]) Z 88 sqq., 269 sqq., 297—311.

adyto Aeneam vulneratum reficiunt Latona et Diana [1]), et *ποτὶ νηὸν* illum spolia opima suspensurum se iactat Hector [2]): — quis non agnoscit *speluncam*, qualem Delphis postea vel Athenis sacram sibi habuit Apollo, et *sacram arborem* (laurum?), cuius trunco arma hostilia Hector est affixurus? Recte Vergilius: „*lucus in arce fuit summa*" [3]).

Athenis Erechtheo *ἐν πίονι νηῶι* Minervae tauri et arietes certis temporibus sacrificati esse dicuntur [4]): — quidni sub divo sint sacrificati [5])?

Scheria autem relicta Minerva *δύνει Ἐρεχθῆοσ πυκινὸν δόμον* [6]). Hic *domum* habemus sane, sed — *Erechthei*; quam qualem poeta cogitaverit cum verbum *δύνειν* indicat tum ipsum Erechthei nomen. *Antrum subterraneum* Erechthei in rupe Athenarum, domum daemonis anguiformis, dea intrasse dicitur veluti stella caduca, cui noto Iliadis loco assimulatur [7]). Sic Apollo intravit antrum Delphicum [8]).

Restat *λάϊνοσ οὐδὸσ ἀφήτοροσ* ingentes opes *ἐντὸσ ἐϝέργων*, cuius mentionem Achilles facit loco notissimo [9]). Siccine loquitur qui aedis alicuius *ὀπισθόδομον* bene tectum bene clausum cogitat? Non opinor; itaque suo iure *peribolum* aliquem ianua clausum sibi finxerunt Helbig [10]) Cauer [11]) alii. Dementiae quidem foret opes sub divo coacervatas cogitare, sed quominus in eum errorem inciderent auditores cavit poeta, dixit enim *Πυθοῖ* — vel potius *Πυθῶνι* — *ἔνι πετρηέσσηι* eas asservari; quibus verbis auditis nemo non cogitet collocatas in sacra *spelunca*, et optime congruunt quae tradita accepimus: „*antiquissimum Apollinis Pythii ναὸν e ramis laureis fuisse confectum*" [12]). Primitus igitur hic deus ibi quoque ita cultus est ut Chrysae et Ithacae cultum docent carmina Homerica. Habuit et illic *ἄλσοσ δενδρεόεν καὶ σπέοσ ὑψηλόν, δάφνηισι κατηρεφέσ, περὶ δ' αὐλὴν ὑψηλήν* [13]), cuius *λάϊνον οὐδὸν* modo audivimus commemoratum.

---

[1]) *Ε* 446—448. [2]) *Η* 83. [3]) Verg. Aen. IX 86.
[4]) *Β* 550 sq. [5]) Cf. pag. 223, 1. [6]) *η* 80 sq.
[7]) Cf. *Δ* 75—79. [8]) Cf. h. Ap. 441—443. [9]) *Ι* 405 sq.
[10]) Helbig² p. 421. [11]) Cauer Grundfragen¹ p. 202. [12]) Pausan. X 5 § 5.
[13]) Usus sum verbis quibus pingitur caverna Polyphemi *ι* 182 sqq., neque caeco casui tribuendum videtur quod *lauris* adumbratam poeta hanc dixit, licet dicere non habeam quomodo ex Apollinis cultu in lustrum cyclopis illae arbores migraverint.

Quae cum ita sint, neque in Achillis illis verbis apparet aevi recentioris indicium. Neque vero alibi in Iliade aut in Odyssea ullum invenitur verbulum quo indicetur cella tecta et clausa, quae numini alicui sit sacra. Neque Iliadis neque Odysseae poeta norat tales *νεὼσ* quales postmodo dis erecti sunt [1]), sed *ἐν ἄλσεσιν* sive *lucis* tunc di *τεμένεα* sua *καὶ βωμοὺσ θυείεντασ* [2]) habebant. Revera tum, ut postea Pisetaero illo regnante, *δένδρον ὁ νεὼσ ἦν* [3]). Precibus hostiisque di tunc adibantur

καλῆι ὑπὸ πλατανίστωι, ὅθεν ῥέεν ἀγλαὸν ὕδωρ [4]),

aliave sub arbore sacra, nam aliae aliorum erant numinum [5]).

---

[1]) „Die Blütezeit des Epos kannte keine Tempel" Cauer l.l. p. 204.

[2]) *Θ* 48 *Ψ* 148 *ϑ* 363.

[3]) Cf. Aristoph. Av. 617 et supra pag. 221, 2.

[4]) *B* 307.

[5]) Locos Homericos huc facientes excribi nunc non est opus, nam certa haec res est et explorata. Ante ceteros laudandi sunt *ζ* 162 sq. *ϱ* 205—211 *υ* 278, praeterea cf. *Θ* 238 *X* 171 *γ* 273 sq. *ι* 200 *ξ* 328 (= *τ* 297) et quae de *Ulixis thalamo* disputata sunt cap. II, pag. 71—77.

XVI.

ΑΒΡΟΜΟΙ ΑϜΙϜΑΧΟΙ [1]).

Prisca est quaestio necdum nisi fallor ad finem perducta de significatione adiectivorum *ἀβρόμου* et *ἀϝιϝάχου* (*αὐιάχου*) uno Iliadis loco [2]) lectorum. Quae adiectiva si nullo iam in carmine epico extarent nec nisi e glossa aliqua nobis innotuissent, nullus, ut opinor, hodie ambigeret philologus quomodo essent interpretanda; omnes insererent praelongae seriei adiectivorum quorum priorem partem efficit negatio ἀ(ν)-, illud igitur „*ἄνευ βρόμου*" interpretati, hoc „*ἄνευ ϝιϝαχῆσ*", quemadmodum *ἄκοσμοσ* id quod *ἄνευ κόσμου* valet, *ἄκουροσ* = *ἄνευ κούρων*, *ἀλήϊοσ* = *ἄνευ ληΐου*, *ἀθέμιστοσ* = *ἄνευ θεμίστων*, *ἀναίμων* = *ἄνευ αἵματοσ*, *ἀγέραστοσ* = *ἄνευ γέραοσ*, alia multa.

Itaque si quis aliter de duobus hisce adiectivis statui iubeat, certam aliquam causam proferat oportet, qua moveat nos ad eam quae in promptu est interpretationem reiciendam.

Et prolata sane eiusmodi causa est ab Aristarcheis. Nempe Troianos duce Hectore „sine fremitu, sine clamoribus" aciem hostilem aliquando invasisse credibile non est visum, quod alibi Troiani dicantur „*κλαγγῆι τ' ἐνοπῆι τε*" Achivos petisse „*ὄρνιθεσ ὥσ*" [3]) et veluti pecudes „*ἀζηχὲσ μεμακυῖαι*" clamores dissonos civisse [4]).

Τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο: non congruunt inter se aut parum congruere

---

[1]) Repetuntur haec e Mnemosynes fasciculo eo qui 1 Iul. 1909 prodiit.
[2]) *Ν* 41. [3]) *Γ* initio. [4]) *Δ* 433 sqq.

videntur duo loci Homerici, ergo invenienda est ratio qua inter se concilientur; quod ni fieri queat, alter uter damnetur utpote spurius!

Rationem invenisse sibi visus est Aristarchus: *intensivam* esse vim syllabae initialis horum adiectivorum, *vehementer* igitur *frementes atque clamantes* dici Troianos: „ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ ἄγαν βρομοῦντεσ καὶ ἄγαν ἰαχοῦντεσ" annotavit Aristonicus „κατ' ἐπίτασιν τοῦ ᾰ κειμένου· ἑκάστοτε γὰρ θορυβώδεισ τοὺσ Τρῶασ παρίστησιν".

Posteris parum placuit haec ratio interpretandi. Quid igitur? Reiectane est Aristarchi opinio, quemadmodum sepulta iam iacet opinio aliorum grammaticorum duorum, qui αὐίαχοι scribebant *siccam* vel *duram vocem* Troianorum intellegentes? Non ita: mutata est tantum; non enim ἄγαν particulam sive alpha *intensivum* inesse sed ἅμα sive alpha *copulativum* iam fuere qui contenderent, *simul frementes* et *simul clamantes* igitur vertentes. Et haec multis nisi fallor hodie probatur sententia.

Satisne igitur sic datum est analogiae?

Vix crediderim. Nam etsi ἅμα illud sive σα- (= σεμ, σμ̥) praefixum in lingua Graeca haudquaquam est incognitum, nullum tamen — quod quidem noverim — extat compositum alterum quod sit consimile adiectivis, quae illi fingunt, (σ)ά-βρομοσ et σ(α)-ϝίϝαχοσ. Dicuntur sane ἀκοίτησ et ἄκοιτισ et ἄλοχοσ qui ἐν τῶι αὐτῶι (vel, si quis mavult, ἐν ἑνὶ) κοίτωι, ἐν τῶι αὐτῶι λέχει iacent; sunt ἀτάλαντα quae τοῖσ αὐτοῖσ ταλάντοισ imponuntur, ἀδελφεοί sunt quos tulit ἡ αὐτὴ δελφὺσ sive μία νηδύσ, ut loquitur Priamus, et similis est ratio adiectivorum cognatorum ὄπατροσ, ὀϝέτησ, ὄθριξ, — sed ea omnia, ut notissima, sic a nostra quaestione aliena sunt. Nam non cum *substantivo*, quale est λέχοσ vel τάλαντα, sed cum stirpe *verborum* βρέμειν et ϝιϝάχειν composita esse creduntur adiectiva de quibus disputamus.

Eiusmodi autem adiectivum, cuius quidem certa videatur origo, — nam ignota per ignotiora illustrare non conabitur qui sapiat, — nullum novi. Unum id quod in vicinia legitur ἀϝολλήσ sive ἀϝελλήσ potest conferri, sed ne hoc quidem multum prodest collatum. Nam illi adiectivo, quod τὰ ἅμα ϝεϝελμένα significat, *passiva* vel *intransitiva* inest notio, cuiusmodi et inest τῶι ἀταλάντωι sive τῶι ἐν τοῖσ αὐτοῖσ ταλάντοισ κειμένωι, ceterisque adiectivis quae supra attulimus;

ἄβρομοσ vero et *ἀϝίϝαχοσ* modo perhibebantur *τὸν ἅμα βρέμοντα* et *τὸν ἅμα ϝιϝάχοντα* significare.

Sed prorsus debilia habentor haec argumenta, licet mihi quidem minime contemnenda et tantum non invicta videantur: — quid lucrati erimus? Satisne probabiliter iam verti poterunt verba tradita? Quae haec sunt:

Τρῶεσ δὲ φλογὶ ϝῖσοι ἀϝολλέεσ ἠὲ θυέλληι
Ἕκτορι Πριαμίδηι ἄμοτον μεμαῶτεσ ἕποντο,
ἄβρομοι ἀϝίϝαχοι.

Habebimus igitur haec: *Troes conglobati strenuo impetu Hectorem sequebantur simul frementes simul clamantes.* At quaenam hic erit vis particulae *simul*? Milites cum clamorem attollunt, estne cur dicantur *simul* clamare — quibuscum? Cum se ipsis nimirum. *Simul omnes* igitur erit vertendum, licet non ea sit vis particulae *ἅμα*, quae nihil valet nisi dativus aliqui aut subiungatur aut mente certe suppleri possit: *ἀτάλαντοσ* nihil est, *ἀτάλαντοσ Ἄρηϊ* vel *Διί* intellegi potest. Sed hoc quoque mittamus: operaene igitur pretium fuit eiusmodi quid dici? Nonne per se id intellegebatur? Id demum, ut mirificum et vere ridiculum, sic memoratu dignum fuisset, si singuli deinceps aut fremitum edidissent aut clamorem, quasi *βαρβαρικόν τι σκολιὸν δεχόμενοι.* Prorsus alia est ratio nominum qualia sunt *ἀτάλαντοσ* vel *ἄλοχοσ* vel *ἀϝολλήσ*: *coniunctim* vel *simul imposita trutinae, una in toro iacentes, in unum conglobati*; nam harum notionum pondus in ipsum illud *simul*, *una*, *in unum* incumbit: quod deme, languebit epitheton atque adeo ad nihil redigetur; contra hominum illorum *simul frementium et simul clamantium τὸ ἅμα* misere an ludicre dicam abundat: dele, nihil desiderabitur. Aristarchi interpretationi parum favebat linguae ratio, novae vero explicationi ipsa mens sana aliquanto vehementius adversatur. Poterat poeta *vehementer clamantes* fingere Troianos vel *altos* vel *terrificos clamores edentes* et alia eiusmodi multa dicere poterat, si clamantes eos cogitabat: non poterat — quoniam insulsum id fuisset — *simul* particulam sic nudam collocare.

Nimis vehementibus verbis uti videor? At plus etiam dicendum arbitror; nam contendo verti omnino non posse illa *ἄβρομοι ἀϝίϝαχοι*, si sonus *ἀ-* id quod *simul* valere credatur. Nam tam ineptum est *simul fremere et clamare* quam aptum est *neque fremere neque*

clamare. Inter *βρόμον* et *ϝιϝαχήν* id interest quod inter sonum *gravem, obscurum, fuscum* et sonum *acutum, clarum, stridulum.* Optime igitur coeunt hae notiones in negatione, non coeunt in affirmatione, quoniam simul fremere et clamare nemo potest.

Est igitur hoc asyndeton componendum cum similibus, qualia sunt *ἄϝιστοσ ἄπυστοσ, ἄσιτοσ ἄποτοσ,* alia multa adiectivorum ab *ἀ*-privativo incipientium, et tantum non consimile est quod apud Euripidem legitur de Alcestide mortem imperterrita expectanti: *ἄκλαυτοσ ἀστένακτοσ.*

Videmus quo duxerit studium locos Homericos multorum versuum intervallo seiunctos inter se conciliandi, et vix iam tolerabilius videtur illud (σ)ά-βρομοσ vel (σ)α-ϝίϝαχοσ quam *Cylaemenes* Zenodoteus Pylaemeni substitutus [1], ne mortuus homo etiam vivere diceretur.

Quid igitur? Inter se *pugnare* locos ubi Troiani *clamare* et locus ubi *tacere* dicuntur candide et aperte proloquimur, quemadmodum Pylaemenem post mortem filio exequias euntem nemo hodie admodum graviter fert aut coniectura ex Iliade removere conatur? Ita si statuendum sit, non magnopere commovebor equidem, neque tantum ea causa apud me valebit ut nova tentem itinera, quibus ad abstrusam aliquam et reconditam interpretationem adiectivorum *ἄβρομοι* et *ἀϝίϝαχοι* fortasse possit perveniri. Sed nullam hic cerno pugnam. Cerno *discrimen*, sed minime id molestum. Alia illic, alia nostro loco narrantur, non narrantur quae inter se conciliari nequeant. Tum cum primum Troianos Achivi, hos illi petiverunt, neutri taciti prodierunt, sed clamantes utrique. Achivi ingenti strepitu e castris proruerunt in planitiem, veluti avium migrantium agmina infinita [2], dein autem cum ordines essent constituti, taciti perrexerunt; Troianorum vero et sociorum primum tunc in unum iunctorum multus etiamtunc fuit clamor et nonnihil turbarum: credimus libentissime poetae eleganter narranti. Nunquamne igitur exinde Graecis licuit pugnare nisi tacitis? Altos tamen clamores sustulerunt paucis diebus post [3]. Nunquamne Troianis pugnare licuit nisi vociferantibus, ne tum quidem cum

---

[1]) Cf. *N* 643. [2]) *B* 459 sqq. [3]) *Λ* 50.

soli sine sociis procederent? Bona verba! Optimus quisque cum horum tum illorum semper fuit βοὴν ἀγαθόσ. Nostro vero loco Troiani „denso agmine Hectorem secuti hostium invadunt castra incendio vel procellae similes". Non ovilia plurimo balatu resonantia, non garrula agmina avium migrantium hic pinguntur, sed animo poetae obversatum est silentium illud minarum plenum animosque animantium caeco terrore opprimens, quod fulminis tonitrusque furorem instantem solet nuntiare. Proruunt Troiani „ἄμοτον μεμαῶτεσ ἄβρομοι ἀϝίϝαχοι", quae verba sic reddenda sunt, si quis ipso poeta interprete velit uti: „ἴσαν σιγῆι μένεα πνείοντεσ, ἐν θυμῶι μεμαῶτεσ ἀλεξέμεν' ἀλλήλοισι" [1]). Quae illic de Achivis, ea hoc loco de Troianis fortiter hostem petentibus cecinit vates.

Verum igitur olim videbant Apion et qui cum illo interpretati sunt: „ἄφωνοι καὶ ἥσυχοι" [2]) vel: „χωρὶσ βρόμου ἢ ἄνευ θορύβου" et: „ἄνευ βοῆσ ἢ σιωπῆι" [3]).

Itaque insigne hoc duco exemplum quo corroborari possit lex, quam in Homero interpretando postquam mihi scripsi, nonnihil profecisse mihi videor; quapropter eam iunioribus — nam seniores et ipsi eam dudum reppererunt — commendare liceat sic expressam: nomen vel verbum vel verborum structura aliunde bene cognita si quo loco Homerico ita adhibita reperitur ut admirationem faciat, ad solvendam quaestionem quaevis ratio ineunda est potius quam persuaderi nobis sinamus aliam iam vocum notarum esse vim, alias res alios homines significari. Si vero — ut hoc utar exemplo — raptae Helenae ὁρμήματά τε στοναχάσ τε interpretamur non ita ut suadet sana ratio: *Helenae luctum* sed *luctum cuius causa Helena extitit*, quod Helena libens et sponte sua Paridem secuta esse credatur, cum Iovis filiae innocentissimae inferimus iniuriam [4]), tum ipsi linguae. Sic ἀβρόμουσ qui vertit *simul* vel *vehementer frementes*, neque ab analogiae parte satis tutus est neque vero contextui ipsive arti poetae satis consulit.

---

1) Γ 8 sq. 2) Apollon. lex.

3) Hesych. — Similia de adiectivo ἀξύλωι Λ 155 observari possunt, quod recte Ar. interpretatus est: „ὅθεν οὐδεὶσ ἐξυλεύσατο", sed in alia omnia abiisse alios interpretes docent scholia.

4) Cf. cap. V, pag. 98, 6.

XVII.

ΛΕΙΡΙΟΣ SIVE ΛΕΙΡΙΟΕΙΣ [1]).

In Bacchylidis editione principe, quam tanta cura tantaque eruditione ornavit Kenyon, ut sequentibus editoribus agenda quidem nonnulla reliquerit, vituperanda nonnisi paucissima, ad poetae verba:

κατὰ λειρίων τ' ὀμμάτων δάκρυ χέον [2])

annotata leguntur haec: „λειρίων: an odd use of the epithet, „unless ὀμμάτων is to be taken as meaning 'faces' or 'cheeks'. „λείριοσ is elsewhere applied only to the complexion or voice, „but perhaps it is no greater a stretch to apply it to the eye''.

Nempe id quod suadet ratio, ut ad efficiendam verbi rarioris significationem primitivam a notis ad ignota proficiscamur et antiquissima praesertim testimonia perpendamus, id nunc effecit ut adiectivum λείριοσ sive λειριόεισ multis obscurum videretur. Quam nebulam quoniam ipsa haec Bacchylidis verba dispellere mihi videntur, periculum faciam an et Kenyoni et aliis persuadere possim non mirifice vel parum apte — qualia alibi nonnulla peccavit Bacchylides in adhibendis vel fingendis epithetis — nunc usurpatum esse hoc adiectivum, sed propriam vim hic potissimum obtinere.

Sic fere ratiocinari solent viri docti: „λείρια sunt *lilia*, flores candidi: ergo λειριόεισ est *liliacus*, hinc *candidus*, λευκόσ, quod

---

1) Primum edita sunt haec in Mnemosyne 1 Ian. 1903.

2) Bacchyl. XVII 95

faciei genisve puellae optime convenit epitheton, vix convenit *voci* [1]), *oculis* autem omnino non convenit."

Equidem sic potius rem mihi informo. Stirps significat *clarum*, nostrum *helder*, quod Graeco φαιδρῶι satis accurate potest reddi. Itaque *flores*, quorum candor niveus et veluti lucidus procul in pratis vel inter arbores conspicitur, aptissimum hinc nomen adepti sunt λείρια *lilia* [2]), χρὼσ λειριόεισ [3]) audit *corporis pars* quae veste et armis a telis hostium ipsisque solis radiis solet protegi, — ea igitur pars μάλισθ' ὅθι καίριόν ἐστι vulnus illatum, — *oculi* autem clari atque corusci a Bacchylide pulcre nunc dicuntur λείριοι. Nam verba κατὰ λειρίων τ' ὀμμάτων δάκρυ χέον hoc valent: *qui nativo fulgore splendere solebant oculi, dolore lacrimisque offuscabantur.*

Simul sic illustratur nomen *Podalirii.* Est enim πόδα λείριοσ is qui ποδαργήσ sive ἀργίπουσ sive λευκόπουσ vocatur alibi, is qui τῆι μαρμαρυγῆι sive τῶι ἀμαρύγματι τῶν ποδῶν oculos ferit, *pernix* frater Machaonis. Rectene autem an secus ad *Aesculapii serpentem* relatum sit Ποδαλείριοσ nomen [4]), id quaerere nunc omitto.

Translata denique notione ἀπὸ τῶν ὁρωμένων ἐπὶ τὰ ἀκουόμενα — ut recte priscus interpres — *vox* altissima et tenuissima *cicadarum* apud Homerum dicta est λειριόεσσα sive *clara* [5]).

Itaque simile quid valet de hoc adiectivo atque de χλωρῶι. Quod si *colorem* potissimum significare sumimus, perridiculus erit Bacchylides puellam formosam χλωραύχενα dicens [6]), „χλωρὸσ not being generally a complimentary epithet of the complexion", ut iocatur Kenyon. Sin dicimus proprie ea designare quae sunt *vegeta*, *florida*, hinc de colore novorum foliorum et herbarum usurpari coeptum esse, nihil habebit inepti de puellae collo dictum.

Sed merae nugae habenda essent quae scripsi, si quid tribuendum esset opinioni quae magna Hehnii auctoritate fulta est, vocem λείριον *lilium* cum ipso flore ex oriente ad Graecos demigrasse, e persica autem lingua esse interpretandam. Quam linguam quoniam ita calleo equidem ut Pseudartabas ille, viros me peritiores adii, a quibus laetus mox didici veri dissimillimam esse

---

1) „Lilienrein" Göbel, „Lilienstimme" Hehn.
2) H. Cer. 428 et postea. 3) *N* 830.
4) Sic Fick Bezzenb. Beitr. XXVI p. 313 sqq.
5) *Γ* 152. 6) Bacchyl. V 172.

illam originationem, persicam enim vocem *lālă*, a cuius forma primitiva graecum λείριον fuere qui ducerent, neque quod ad formam adtinet ei satis esse cognatam, neque quod ad significationem, non enim *lilium* sed quosvis flores agrestes designare.

Nihil igitur quod videam obstat quominus vere Graeca ducantur λείριον et λειριόεισ. Id unum manet notatu dignum, terminum -εντα non substantivo — si vera sunt quae disputavimus — nunc esse subiunctum, sed adiectivo. Attamen ne sic quidem a parte analogiae destitutum est λειριόεισ, nam similem conformationem habent ὑψιπετήεισ, αἰπήεισ, μεσήεισ, φαιδιμόεισ, ὀξυόεισ, τροφόεισ, ἀλγινόεισ, ἀργινόεισ, ὀκρυόεισ, — ut cuncta enumerem quae praebet Homeri textus traditus. Deme quae aut suspecta sunt aut apertis erroribus debentur: certa tamen manent ἀλγινόεισ, φαιδιμόεισ, ὑψιπετήεισ, alia, et

φαίδιμοσ : φαιδιμόεισ = λείριοσ : λειριόεισ.

ERRATUM.

Pag. 42 lin. 26 pro cognato leg. conato.

